





2
6
203









R. P.

PAVLI LAYMANN
SOCIETATIS IESV
Theologi

CENSVRA
Astrologiæ Ecclesiasticæ
&
ASTRI INEXTINCTI,
à CASPARE SCIOPPIO in lucem editi.



COLONIAE AGRIPPINAE
In Officina Birckmannica, sumptibus Hermanni Mylij,

Anno seCVLarI soCIetatIs IesV à sanCto P. IgnatIo InstItVtæ, atqVe à pontIfICe paVLo III. ConfIrMatæ.

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.

C*Ensuram* Astrologiæ Ecclesiasticæ & Astri Inextincti, *à P. Paulo Laymann, Societatis nostræ Theologo, aduersus Gasparem Scioppium scriptam, & ab aliquot eiusdem Societatis Theologis lectam, approbatamq́; Ego* GVALTHERVS MVNDBROT *Societatis* IESV *per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, facta mihi potestate ab Admodum Reuer. P. N. Generali* MVTIO VITELLESCO, *in lucem edi permitto; fidemq́; facio Manu meâ, & consueto Societatis Sigillo. Ingolstadij, die* 30. *Septemb. Anno* 1634.

L. S.

GVALTHERVS MVNDBROT.



TYPOGRAPHVS LECTORI.



Vandoquidem Astrum Inextinctum, postquam R. P. Paulus Laymann in Nouembri anni 1635. mortuus, sub nomine R. P. F. Romani Hay anno 1636. denuo editum est, & latius per Imperium & Orbem Christianum diuulgatum, ne quid Lector desideret, numerum paginarum huius posterioris editionis margini apposuimus, vbi numerus prioris editionis paginas designans in ipso contextu annotatur. Vale & vtere.





IN ASTROLOGIAE ECCLESIASTICÆ, ET ASTRI INEXTINCTI CENSVRAM,

PROOEMIVM PRIMVM.

PHILOXENVS MELANDER, qui in *Actione perduellionis in Iesuitas*, indignum Iesu Christi seruum se appellauit, & ex Lutherano, subitò (si Superis placet) Catholicus factus est; postea etiam *Anatomiam Societatis Iesu* miro artificio delineauit; imò secreta eius, atque *Mysteria* in lucem produxit; nunc etiam ASTROLOGVM se profitetur, & ASTRVM INEXTINCTVM omnibus palàm exhibet.

Intelligit, vt arbitror, Lector rerum gnarus, quæ hic insinuantur. Prodière non ita pridem, vno volumine, duo libri, in quibus plurima, quæ in *Actione perduellionis*, seu *Flagello Iesuitico*, aliqua etiam in *Anatomia*, aduersus Societatem nostram conficta & obiecta sunt, denuo afferuntur, confirmantur, & nouis adinuentionibus illustrantur. Tametsi verò horum Auctor præcipuus in tota Germania cognitus sit; quandoquidem in hoc infamandi genere diu se exercuit, atque ita perfecit, vt ex loquendi, falsandi, ac quælibet deprauandi antehac non auditis modis, ilicò Artifex iste agnoscatur; nihilominus tamen, quia cernebat, lucubrationes suas aduersus Societatem nostram à se editas, tam prosperum desiderij sui successum nancisci, vt Iesuitas omnes, tanquam *iuratos S.R.I. hostes*, & pacis publicæ perturbatores, per militares factiones, ex Germaniâ, breui post tempore, pellendos esse speraret; ideò, vt de laboris sui fructu, gloriâ vid. ac rei benè gestæ famâ, pecuniarioque subsidio certior esset, nomen suũ *Astrologiæ Ecclesiasticæ* adijcere voluit; & quasi causæ suæ minimè diffide-

diffideret, Augustissimo Cæsari FERDINANDO II. dedicare, *perpetuo Sacræ Cæsareæ Maiestatis* falsò prætenso *priuilegio*. Ne autem quisquam de eius egregiè præstitâ industriâ dubitare possit, *intra continuum biennium, complures libros, partim apud VVeingartenses, partim in exilio apud Heluetios adornare* se gloriatur fol.83. Astrologiæ.

De his duobus libris, qui ante paucos dies ad manus nostras peruenerunt, iudicium aliquod ferre, necessarium esse videbatur. Et prior quidem, cuius inscriptio *Astrologia Ecclesiastica*, grauibus erroribus, Sacræ Scripturæ deprauationibus; insuper calumnijs, & maledictis refertissimus est, vt præterea fermè aliud nihil contineat. Enimuerò id in toto eo libro agit Astrologus, nouâ & ante hac inaudita peruersitate, quòd ex varijs Sacræ Scripturæ libris verba quædam depromat, eaque arbitratu suo in vnam ipse cohærentem constructionem, quibusdam vocabulis omissis, alijs à se ipso adiectis, ita connectat, vt ad contumelias, & calumnias non solùm Societatis nostræ Religiosis, sed alijs quoque Mendicantium Ordinum, præsertim RR.PP. è familia S. Francisci; ipsis quoque Ecclesiarum Domin. Episcopis, ac Prælatis inferendas, accommodata reddantur. Et hanc ipsam arbitratur Astrologus esse nouam mysticam Theologiam, quam diurnis ac nocturnis lucubrationibus didicerit, atque debeat in publicum proferre, ad arguendum ea, quæ in Ecclesiam Christi, vitio hominum, irrepunt scandala.

Apud omnes Nationes, & Iure quasi naturali receptum, constitutumque est, ad intelligentiam sermonis, aut scripturæ plurimùm referre, vt antecedentia cum sequentibus conferantur; quia ex verborum ac sententiarum integra connexione & contextu, appareat mẽs seu intentio loquentis. Magna itaque hæc peruersitas est, si quis ex vno folio, aut libro verba quædam excerpat, ijsque ex alio folio, aut libro, alia longè diuerso proposito prolata verba adijciat; præsertim si id fiat (sicut frequenter id agit Aduersarius) adiecta copulatione causali. *Quia*, *Cum*. Eiusmodi fraudibus sæpissimè vsus fuit in Actione perduellionis, & Astro inextincto: sed in Astrologia Ecclesiastica arte factum istud quasi perpetuò texit, quòd E.C. Prophetæ Hieremiæ allegatis verbis, alia, cohærente oratione, ex S. Ioanne ijs adiungit; mox alia ex S. Paulo; atque vt oratio congrua reddatur ad flagitium

flagitium inferendum, quædam subinde, vt supra dixi, Scripturæ verba omittit, alia ex suo, connectendi causâ, adijcit.

Verùm de hac Astrologia, animus non est aliqua particulatim referre, aut refutare; quia adeò absurda, atque à Fidelium sensu & pietate pleraque abhorrentia continet, vt pigeat pudeatque commemorate; atque Lector quilibet, si prudens sit, per seipsum mox perspiciat Scriptoris illius impudentiam. Itaque generatim duntaxat lata censura hæc sit; Astrologiæ Ecclesiasticæ librum, erroribus & calumnijs plenum esse, perniciosum & spiritu fanatico conscriptum. Quæ censura Lectoribus consilij & admonitionis loco erit, donec grauior, quàm iustissimè meretur, ab ijs, qui eo Iure præditi sunt, cum auctoritate, inferatur.

Quod ad posteriorem librum, *Astrum Inextinctum* attinet: Eum Philoxenus Melander Astrologus, à Sacerdote Ordinis S. Benedicti viro docto, conscriptum, & ad se missum esse, testatur. Quam eius assertionem discutere hic nolo. Existimo verò plurima, imò pleraque esse in eo libro, videl. Quæ de vacantium Monasteriorum iuribus ac titulis, Prælatorum regularium, non exemptorum, iurisdictione ac potestate &c. disputantur, quæ Astrologus ab alio accepisse debuit; cùm ipse, sicuti ex alijs eius libris cognoscitur, eam Iuris Canonici cognitionem non habeat. Accedit ex scribendi etiam stylo apparere, alium quendam fuisse, qui plurima, vndequaque congesta consarcinârit, & Magistro Philoxeno Melandro, magis adhuc exornanda, & fraudibus fulcienda transmiserit: Idque Melandrum Astrologum egregiè præstitisse, vel inde colligitur, quando, ne præmium, & fructus operis, quod sub incude suâ tenuit, & callidis adinuentionibus auxit, atque adornauit, sibi deperiret, omnia libri excusa folia nominis sui adiectione consignauit, *Gasparis Scioppij Astrum inextinctum.*

De eo libro hæc generalis Censura esto: Prima fronte, doctrinæ speciem aliquam præ se fert: sed, si penitùs inspiciatur, eruditionis parum, calliditatis atque imperitiæ multum continere deprehenditur. Plurima in eo copiosè probantur, quæ ad Quæstionis statum nihil pertinent, atque à nemine negâtur. Quæ dudum proposita, aut obiecta sunt partis aduersariæ argumenta, denuò repetũtur, dissimulatis aut perperam relatis *Iustæ defensionis* respõsis. Ex verbis meis,

meis, plerumque etiam malè allegatis, falsa & absurda corollaria inferuntur: Ea postea, tanquam propria *Iustæ Defensionis* asserta sint, inuidiosè pluribus in locis inculcantur, atque in rerum memorabilium Indicem referuntur. Calumnijs quoque, imposturis, ac falsationibus hic liber repletus est, quas in medium afferre, atque refutare, prorsus necessarium, sicuti mox fusiùs ostendam.

PROOEMIVM SECVNDVM.



Causæ, & necessitas respondendi ad ea, quæ in Astro inextincto mihi, aut Societati nostræ falsa obijciuntur, apud prudentes quidem, rerumque intelligentes, nihil dubitationis habitura est: Interim verò non ignoro, quosdam, etiam inter Catholicos reperiri, qui ob malam informationem, sinistramue affectionem, vitio nobis vertunt, quòd eiusmodi, quales illo in libro denuò proponuntur controuersiæ ac lites, quæ vt ipsi censent, per silentium sopiri possent, datis responsionibus ac defensionibus, magis excitentur.

Equidem non diffiteor, eâ in re grauiter esse peccatum, quòd Cõtrouersiæ illæ, occasione rationum quarundam, (quæ in Epistolas Cæsareas irrepserant, atque Theologorum quorundam Iudicijs refutatæ fuerant) exortæ apud eos, quibus id negotium commissum, & qui huic rei remedium adferre potuissent, relictæ non fuerint, sed in omnium notitiam, typis publicis, deductæ. Ea propter in procemijs Iustæ defensionis, id maximè laboraui, vt falsam suspicionem, quæ in multorum animis concepta erat, duo Theologorum Iudicia, Patrum Societatis operâ in lucem publicam prodijsse, penitus abolerem.

Tametsi verò probè sciuerim, quinam, aut quales essent eorundem Iudiciorum, totiusque Controuersiæ in publicam notitiam deductæ Auctores, nolui tamen eos disertè nominare, aut describere, ne, si significarem, Religiosos esse, in ipsosmet Ordines querela redundare videretur, maleuolorum aut imperitorum hominum sententiâ. Imperitorum, inquam: Qui enim prudentes sunt, aliter censent, videlicet, Quod vnius aut alterius, seu paucissimorum hominũ

teme-

temeritate actum est, nequaquam toti Congregationi, aut Ordini imputari posse.

Et adeò quidem in Iustâ defensione cohibui me, ne vel verbo exprimerem, Iudicia illa, & libellos duos famosos, à Personis Regularibus editos fuisse, vt multi viri, etiam doctissimi reperti sint, qui perlecto eo toto libro iudicare non potuerint, Religiosorum, eos quos dixi, partus esse. Postea verò ipsimet Societatis nostræ Aduersarij, quod de industria celandum esse duxi, disertè confessi sunt. Videl. Philoxenus Melander in Actione perduellionis fol. 24. v. 5. Visum fuisse quibusdam Ordinum Personis, vt ea famosa scripta (ita appellat duo Theologorum Iudicia) in publicam lucem ederent. Et eodẽ fol. 24. v. 25. AEgrè tulisse Patres Societatis, quòd Monachi (duobus Susceptæ Defensionis & Disceptationis &c. libris) se opponere ipsis ausi fuerint. Eademque habet Astri Inextincti Auctor fol. 258. prope finem, & fol. 260. n. 6. 336. 338.

In his duobus libellis plurima adeò absurda, ab omni veritate & & honestate aliena continebantur, vt sine graui Societatis nostræ detrimento, alijsque incommodis, dissimulare ac tacere non possemus: Eaque ipsa respondendi necessitas, vt prima mox libri fronte Lectori appareret, idcirco post Procemia Iustæ Defensionis, synopsin errorum, calumniarum & falsationum &c. posui. Veruntamen hæc ipsa res, quæ libro meo patrocinium afferre, Lectorumque animos conciliare debuerat, apud quosdam, iniquos rerum æstimatores, maiorem etiam indignationem, ac querelam concitauit. Quæ enim, dicebant, videri potest necessitas hæc, vt Viri Religiosi à Religiosis de erroribus, calumnijs, falsationibus, ac mendacijs, edito, & per totam Germaniam sparso libro accusentur.

Videlicet, non indignantur isti, aduersus Societatem nostram, calumnias, falsationes, mendacia spargi, erroresque graues in hominũ animis ingenerari, publicè editis, atque Cæsari, Principibus, & Proceribus Imperij oblatis libellis; sed id magis indignè ferunt, quod illa ipsa, & quidem ijsdem verbis, quibus Societati nostræ obiecta sunt, defensionis ac refutationis causâ, enumerata fuerint. In omni iniuriarum iudicio, aggressori condemnatio ac pœna decernitur; defensori autem venia tribuitur: quia defensio, quatenus necessaria, omni iure cuilibet permissa est. Soli autem hi iudices, damnare defen-

ſores; & culpæ plus ipſis, quàm aggreſſoribus, adſcribere non verentur.

Sed nonne, cogitabit quiſpiam, Viros Eccleſiaſticos ac Religioſos, decet magis, ſecundùm Euangelij doctrinam, pati iniuriã, & non reſiſtere, aut ſe defendere? Dudũ hæc quæſtio tractata fuit à SS. Patribus, Auguſtino, Gregorio I. Papa, & alijs, quorum doctrinas allegaui in Iuſtæ defenſ. prooemijs n. 45. & ſeqq. Summa doctrinæ eſt: Iniuſtas detractiones, ac contumelias, fiducia innocentiæ, Deo ſupremo Iudici cognitæ perferre ac diſſimulare, famamque propriam negligere, Chriſtianæ Humilitatis & Patientiæ opus inſigne eſſe poſſe; præterquam ſi exinde in alios ſpiritualis ſalutis damna redundent; quæ permittere & non impedire officio noſtro, & ordinatæ Charitati, quæ vnica norma actionum noſtrarum eſt, aduerſetur. Cũ enim homines plerique eò propendeant, vt detractionibus ac querelis, quæ publicè ſparſæ ſunt, facilè fidem habeant, in eaque confirmentur magis, ſi quæ obiecta ſunt, diſſimulari, ac veluti pro confeſſis haberi intelligant; ideò neceſſarium eſt Viris Eccleſiaſticis, ac Religioſis, vt, quæ falsò & iniuſtè de ijs vulgata ſunt crimina, oſtenſa innocentiâ aboleant; ne alioquin fructus in proximos, qui ex illorum vitæ exemplo, prædicationibus, alijſque ſpiritualibus functionibus percipitur, imminuatur; Atque ij, qui talia Religioſis obijciũt, aut qui eiſdem aſſentiuntur, dum Hæreticis eâ in re fauent, atque arma ipſis ad oppugnandam Chriſti Eccleſiam adminiſtrant, imò quandoque ex eorundem libris accipiunt, cum eiſdẽ, Hæreticis inquam, malè pereant, niſi per veritatis demonſtrationem ab errore reuocentur. Quare rectè S. Auguſt. dixit lib. 22. de bono Viduitatis: *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra* (honeſtè acta) *alijs fama noſtra.* Et S. Thom. de Aq. in quodli. 10. a. 13. *Contemptus famæ ratione ſui ipſius, Humilitas eſt, ratione verò proximi, ignauia & crudelitas.*

Nemo facilè reperitur ex viris honeſtè ac ingenuè natis educatiſque, qui publicè ſibi obiecto crimini, ſi innocens ſit, contradicendum ſibi non arbitretur, atque honorem ſuum, famamque defendendã. Quod ſi eum de Chriſtianâ Patientiâ ex Chriſti conſilio admoneas; reſpondebit ilicò, ſi prudens, & bonis doctrinis inſtructus ſit; Inimico, aut iniuſto famæ detractori ſe ignoſcere, vindictam non deſiderare; eique benè facere paratum eſſe; Verum de damno, quod ex

infa-

infamationibus ſecuturum eſt, abolendo, & per ſilentium non confirmando, laborandum ſibi eſſe: quandoquidem, non mea tantùm (inquiet ipſe) cauſa hic agitur; ſed etiã vxoris, liberorum, totiuſque familiæ, quam ex me, ſeu mei causâ, contemptam, atque indefenſam relinquere, rectæ rationi, & Charitati, Pietatique repugnat. Quòd ſi ratiocinatio iſthæc cõmendatur in quibuslibet hominibus priuatis, cur non etiam, & quidem multò magis, in Congregatione Religioſorum, ſi ad ea, quæ ipſis per iniuriam imputata ſunt crimina, innocentiam ſuam demonſtrando, reſpondere aggrediantur?

Et verò, ſi rectè rem perpendimus, nullus modus hîc aut ratio ſuppetit, maleuolorum hominum iudicia & oblocutiones declinandi. Si enim Societas noſtra, ſecundùm Patrum doctrinam, ſe defendat, atque innocentiam oſtendat, de impatientia & contentione accuſabitur: Sin verò taceat, ac diſſimulet, de obiectis criminibus, propriæ taciturnitatis confeſſione, rea iudicabitur. Inſuper qui in angulis quibuſdam iam latent famoſi aduerſus Societatem excuſi libelli, poſt decem, viginti, & amplius annos, ab Aduerſarijs noſtris, maximè Hæreticis, in lucem denuò producentur, quando nemo fortaſſe in viuis erit, qui rerum geſtarum memoriam, cognitionẽque habeat ad refutandum. Itaque cùm malũ omni ex parte declinare non poſſimus, præſtat eligere id, cui minus periculi ac damni ineſt; quodque Maiorum traditioni, ac Regulæ Eccleſiaſticæ, vt ſupra dixi, conforme eſt.

Sed dicunt, id ſaltem probari, aut à temeritate excuſari non poſſe, quòd Societatis noſtræ Religioſi, de temporalibus Monaſteriorum poſſeſſionibus, cum antiquorum Ordinum familijs, in his publicis Germaniæ calamitatibus, decertare non deſiſtant. Reſpondeo; Si id verum eſſet, quod nobis hîc obijcitur, quàm maximè culpandos nos forc. Cæterùm, qui tales de nobis querelas fundunt, rerum plerumque ignorantiâ laborant, atque ideò edocendi ſunt. Ante annos quinque epiſtolæ Cæſareæ Romam, & ad quoſdam Dominos Epiſcopos, Romani Imperij Principes miſſæ fuerunt, in quibus Monaſteriorum, quæ ab Acatholicis detentoribus, vi Edicti, recuperari debebant, vniones, penſiones, ac commendæ adeò inhibebantur, vt ſi earum aliqua per Sedis Apoſtolicæ auctoritatem fieret, fundationi in iure naturali ſtabilitæ, conſcientiæ Maieſtatis Cæſareæ, Concordatis quoque Germaniæ, & ipſi Generali Edicto repugnatura eſſet;

atque difficulter coram Deo excusari posset. Lectis his litteris, tam Romæ, quàm in Imperio admiratio atque querelæ ortæ fuerunt; eæque vnà cum plurium tùm sæcularium, tùm quorundam è Societatis nostræ Theologorum scriptis iudicijs, ad Cæsareum Confessarium P. Guilielmum Lamormaini, delatæ: Is re diu secum deliberata, negotium ad Sacram Cæsaream Maiestatem, quod etiam Nuncios Sedis Apostolicæ velle intellexerat, breui scripta epistolâ retulit. Cæsar iussit mox, de causâ istâ, Consiliarios suos vnâ cum diuersorum Ordinum Theologis, consultare. Interea autem Iudicia ista clãculùm à quibusdam acquisita, eorumque duo selecta, ac typis publicis edita; atque paulò post libellis famosis refutata fuerunt. Contra hos libellos, ex Superiorum meorum voluntate, scripsi ego Iustam defensionem; non eo argumento, aut proposito, quòd Societas vllùm ex recuperatis, aut recuperandis Monasterijs sibi assignari petat; multò minùs, quòd ad ea ius qualecunque sibi vendicet: sed solùm, vt quæ contra Romanũ Pontificẽ, Cæsarẽ, Episcopos, Theologos, aliosque, demũ ipsos Societatis nostrę Patres, calumniæ ac falsitates, aut errores proposita fuerunt, refutarẽtur. Inter quæ id quoq; numerari debebat, quòd Domini Episcopi, Religiosi Mendicantes, aliæque Personæ Ecclesiasticæ, si Monasteria pro ipsis ab origine suâ fundata non sint, adeò eorundem incapaces existant, vt seclusa extraordinaria, & vix vnquam occurrente causâ sine iuris naturalis ac Iustitiæ, Germaniæque concordatorum &c. violatione, per Sedis Apostolicæ auctoritatem, assentiente etiam Cæsare, conferri non possint. Hæc autem assertio, ac doctrina iniuriam continet, & errorem Ecclesiasticæ praxi aduersantem; Cum plures causæ canonicæ esse soleant Monasteriorum transferendorum; & inter eas hæc quoque, si sacra Collegia, ipsaque Monasteria eorum Ordinũ, in quibus professio cum stabilitate loci editur, per mortem omnium in ijs ius ac titulum habentium, extincta sint, eorumque bona vacantia. Hæc causa fuit atque propositum Iustam defensionem scribendi. Cæterùm, quia ego auctor eius, nouis adinuentis falsationibus, calumnijs, & imposturis, cùm in alijs non ita pridem editis libellis, tum vel maximè in Astro Inextincto, impetor, & per me Societas tota (partim, quòd ipsimet Scriptores, quæ malè docuisse arguor, ad vniuersam Societatem deriuent; partim quòd Societatis Superiores scribendi,

eden-

edendique mihi licentiam,& auctoritatem tribuerint) ideò eadem iam necessitas postulat,vt ea,quæ iniustè,ac calumniosè obiecta sũt, refellam;atque detectis falsitatibus,sophismatis, ac dolis veritatem aperiam,erroresque, qui cum multorum pernicie stabiliri possent, tollam. Vt verò Lector quilibet, quàm hic assero, respondendi necessitatem mox clarissimè intelligat,Indiculum subijcio non quidẽ omnium,sed præcipuarum duntaxat calumniarum,& pseudologiarum,quæ in Societatis nostræ publicum detrimentum,aut infamiam cedere possent,nisi refutarentur.

Indiculus calumniarum, & pseudologiarum, quæ in Astro Inextincto aduersus Iustæ defensionis Auctorem,& Societatem IESV adferuntur.

FOl.89. *Astri inextincti,dicitur; Mé, Iustæ defensionis auctorem* non semel disertè
fateri,mandata *ad Oratorem,&c.* esse, fuisseque Cæsarea: scribere tamen 5
non dubitasse,hæc mandata à iure aliena esse;aduersus Ecclesiæ traditionem,
Romanæ Sedis consuetudinem tendere; quædam in ijs contineri contraria,
falsa,scandalosa. *Et paulò post eod.fol.* Optimum & Sacratissimum Imperatorem
iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatorem arguit, ac talem, qui sibi contraria,falsa,scandalosa, & Ecclesiasticæ traditioni aduersantia mandauerit.
*Similia habentur fol.*188.*n.*20. *Astri inextincti,vbi adijcitur:* Vnde est, quod iterum 185
triumphum canant hæretici,quando audiunt,ab Opponente(*Paulò Laymann*)
suum Cæsarem pro iuris violatore proclamari. *Grauißima hæc calumnia & impostura refellitur p.*1 *loco* 2.*fallaciarum,post princ.& loco* 5.§. *Ad hoc dicitur.*

Eod fol 89. *Astri inext.habetur Iustæ defens. Auctorem negare, à Generalibus Ordinũ* 6
& Abbatibus(pro Monasteriorum recuperatione)processus iudiciales institui posse. Et fol.
90. Vnde sequitur euidenter,ex dictis Laymanni,causas & processus iudicia- 7
les,à Generalibus Ordinum pro restitutione suorum Monasteriorum institutos,nec posse,nec debere, adeoque nec potuisse, nec debuisse coram Cæsa-
reo tribunali ventilari,&c.*Fol* 198. *in fine;* Dicere intendit (*Laymannus*) S.C. 218
Maiestatem,eiusque Aulam & Imperij Cameram, non secundùm iustitiam, sed secundùm quandam æquitatem processisse,eisque Ordinibus adiudicasse Monasteria,quibus de iure non debebantur:quin hoc ipso (*supple non processisse secundùm iustitiam*)quòd præsumpserint in tali causâ ferre sententiam, quæ ad suum tribunal, & officium minimè pertinebat. *Hæc grauis, nulloque penitus fundamento,nisi fraudulentia Astrologi nixa calumnia,refutatur in p.*2.*cens.*1.

8. *Fol.91.in fine; Auctorem Iustæ defensionis docuisse* Dum iuris quæstiones à Sacra Cæsarea Maiestate tractantur & definiuntur, Sedi Apostolicæ, & immunitati Ecclesiasticæ multùm derogari. *Impostura ista atque falsatio detegitur p.1. loco 5 §. Hic autem.*

10. *Fol.94.* Implorationem officii Cæsarei, *pro recuperatione Monasteriorum*, Abbatibus & Regularibus Ordinum non concedi *ab Auctore Iustæ defensionis. Mendacium hoc refutatur p.1. loco 1, in fine, p.2. cens.5. in fine.*

25. *Fol.99. traditur, vniuersim negari in Iusta defensione, quòd* ius *aliquod* habeant, exempti & non exempti Religiosi, vbiuis terrarum, ad Monasteria eiusdem Ordinis, hucusque ab hæreticis &c. detenta, recuperanda *Falsitatis arguitur p.2. cens.2. princ.*

39.n.22. vsque ad 33. *Fol.109 vsq; ad 113. totus in eo versatur Auctor Astri Inextincti, vt ostendat, superesse adhuc aliquos. videl. Rom. Pontificem, Imperatorem, Episcopos, Patronos &c. qui pro Monasteriorum ab hæreticis detentorum recuperatione agere possint: quasi id à me in Iusta defensione negatum fuerit. Et fol.1:4.n.86 ita scribitur:* Hæretici gloriabũtur, & triũ-
77. phabunt, iamque securi bona detinebunt Ecclesiastica: Nam vbi nullus actor, ibi nullus reus, nec iudex, qui imploratus ex officio procedat; nulla sententia, adeoque nulla restitutio. Quod vnum iam diu optarunt, & quæsierunt hæretici. *Impostura ista refellitur p.2. cens.5. & cens.8 sub finem.*

Fol.131.n.78. De Scholasticis Societatis nostræ, qui post expletum probationis bienniũ,
73. *tria substantialia Religionis vota ediderunt, refertur;* Huiusmodi Nouitij, non sunt propriè membra Societatis. *Et n.79. Quòd dicti Scholastici* non sunt propriè mẽbra Societatis. *Hanc doctrinam (quâ Societatis Iesu institutum conuellitur) Bullis & decretis Sedis Apostolicæ aduersari, ostenditur p.2.cens.14. §. Enumerabo nunc,*

Eod n.79. dicitur; Si Collegium aliquod Societatis spoliatum sit, Scholaribus *istis, qui tria substantialia Religionis vota ediderunt,* non competere vllam actionem, aut ius repetendi, nisi generalissimum, quod quilibet è plebe habet in causis pijs ac ecclesiasticis *Hoc dictum de falsitate arguitur ead p,2.cens.14 post. §. Enumerabo.*

81. *Fol.131.n 95. habetur.* Opponentẽ (*Laymann*) contra Religiosos Ordines pugnando, & negando eisdem, aut Ecclesiæ vniuersali, quod vulgò iure notum est, spoliatum ante omnia esse restituendum, nisi corporalis antecesserit violentia &c denuò pro hæreticis egregiè depugnasse, & Sacros canones, præsertim c. Redintegrãda, adeoq; causam vniuersalis Ecclesiæ pro recipiẽdis bonis ecclesiasticis, non leuiter vulnerasse. *Et fol.188.n.10. Infertur ex doctrinâ mea, quòd* Imperator arguitur de iniusto processu. *Et* Opponentem (*Laymannum*) egregiè hæreticis patrocinari. *Calumniæ istæ repelluntur p.2.cens.16. & cens.32.*

84. 28. 168. *Fol.129. n.99. iuncto fol.101. argum.8. & fol.178.n.10. falsò imputatur mihi, sicuti & Auctori placidæ disceptationis (quam à Dilinganis Patribus Societatis scriptam esse mentiuntur Aduersarij) docuisse nos,* Propter paucorum Monachorum lapsum ante annos 80. totum Ordinem à recipiendis hodie Monasterijs arceri, *Item*

Per

Per Apostasiam quorundam Monachorum olim Ecclesiam vniuersalem spo-
liatam fuisse;quasi ratione huius Ecclesia ius & actionem ad Monasteria ista
desolata consequeretur. *Mendacium hoc reprehenditur p.2.cens.30.*

Fol.171.circa medium,contendit Auctor Astri inextincti,quod ijs, videl. *Monachis* 158.
(rationabiliter)inuitis facta *per Sedem Apostolicam Monasteriorum* ab Ordine a-
lienatio,nec iusta est,nec valida. *Et fol.173. ante medium , eodem proposito dicitur:* 161.
Grauissimæ & ineuitabiles,vt ita loquar,requiruntur causæ, si Pontifex alicui
quæsitum ius,ac dominium rerum,absque propriâ culpâ,velit auferre, si Ca-
nonum Sacrorum auctoritatem suæ posthaberi iubeat, si denique,quæ iure
gentium firmata,imò quæ in ipsâ naturali ac diuina lege fundata reperiuntur,
supprimere & extinguere aggrediatur. *Hæc dicta , quatenus ab Aduersarijs accom-
modantur ad horum Monasteriorum,in alios pios vsus,damnandam applicationem,erroris
argui passim in Iusta defensione,& hic breuiter p.2.cens.28.& cens.29.*

Fol 183.n.5, Grauiter perstringit(*Laymannus*)omnes Imperatores,quòd ad a- 177.
gendum iudicialiter admiserint Ordines. *Item,* Quia inuaserint(*Imperatores*)iu-
ra Prælatorum Ecclesiæ. *Grauissimæ hæ impostura refelluntur p.1.loco 4. §. Superest
iam,& p.2.cens.1.*

Fol.184.n.7. Falsò imputatur Auctori Iustæ defensionis,quasi negauerit, Cæsarem ob- 138.
*ligatum esse ad omnium Ecclesiarum , adeoque etiam Monasteriorum iura defendenda.
Et subiungitur ibidem:* Quid aliud sunt Ecclesiarum iura , quam Episcopatus,
Abbatiæ,Canoniæ, beneficia, &c. Si hæc iura Imperator, vt Aduocatus ge-
neralis defendere non tenetur,quænam denique iura defensurus est? Iterum
se,pró dolor,Imperatori opponit Aduersarius. *Refutatur p.1.loco 5.§. Aliud huius
fallaciæ.*

Fol.185.in princ.docuisse me ait in Iusta defensione, Titulo gratitudinis , ab Eccle- 180.
sia posse remitti Cæsareum homagium,ne videl. is teneatur esse fidelis Aduo-
catus antiquorum Ordinum Religiosorum,ne obligetur ex officio eis; & per
eos restaurandæ Germaniæ benefacere,eos defendere ac tueri. *Falsatio ista, &
impostura refutatur p.2.cens.31.*

Fol.185. n.9.significatur, Laymannum in Iusta defensione. pactum simoniacum & 181.
intrusionem Sacratissimo Imperatori, *in causa cuiusdam Monasterij transferendi,*
affinxisse. *Refellitur hæc calumnia p.2.cens.31.§.Adiungam.*

Fol.187.n.13.dicitur tradidisse me in Iusta defensione, Cæsarem ab antiquis Or- 183.
dinibus imploratum vt Iudicem,vel Aduocatum,teneri sub graui obligatione,
partibus implorantibus iustitiam non administrare, neque tutelam. *Et n.15.*
Imperatorē,si administret partibus implorantibus iustitiā,siue tutelā,peccare
mortaliter. *Eamq; rē postea exaggerat Aduersarius n.16.* Grauissimè impetitur Im-
perator , cui nobilissimū officiū,adeoq; sceptrū Iudicis,ausu temerario(quā-
tū est ex voto scribētis)adimitur,& ex sanctis manibus excutitur. *Similia habet
fol.218.n.3,* Docet Oppositor(*Laymann*)Cæsarem,in hoc casu nostro nō debere

pro-

procedere, vt Iudicem *&c.* adeoque aduentantibus ad ipsum Abbatibus & Religiosis pro restitutione Monasteriorum sibi de iure debitorum, oportere clementissimum vultum auertere, debere afflictis & implorantibus iuris remedia negare, & sub graui obligatione in conscientia, teneri illos iustissimè supplicantes non attendere &c. *Refelluntur calumniæ istæ atque impostura p. 1. loco 5. in fine, & p. 2. cens. 33.*

109. n. 35. *Fol. 191. princ. hæc leguntur:* Stultitiæ Cæsarem, eiusque sacrum tribunal arguit Opponens, *Iustæ defens. Auctor;* Quòd Monasteria adiudicatit eis Ordinis personis, ad quas ante detentionem pertinebant: Quòd Imperator ex officio sedens, acceptauerit narrata non vera, ac per sententiam declarauerit, supplicantes Abbates esse eas Ordinis personas, ad quas Monasteria pertinebant: Quòd Imperator in re Ecclesiasticâ, ad se non pertinente, tulerit sententiam &c. *Refutantur ista p. 1. loco. 1. §. Tertium, & loco 3. §. Tertiò & Quarto.*

215. 217. 217. *Fol. 197. n. 52. & fol. 198. significat Astri inextincti Auctor, malè me sensisse de Consiliarijs Imperatoris, & nominatim* S. R. Imperij Principem & Episcopum Viennensem grauiter perstrinxisse, *dicitur in rerum Indice. Quare cit. fol. 198. circa mediū ita loquitur:* His nempe hominibus talis est causa, vt, nisi cum optimorum denigratione sit coniuncta, nulla putetur; Discordias inter suprema Reip. Christianæ Capita seminare, credunt esse patrocinari veritati, quam saluam esse negant, quamdiu Principes isti inter se non colliduntur. Hoc est flammas in Europa suscitare, & schismati iacere vicina fundamenta: hoc est classicum in Aulis Principum canere; hoc est Pontificem Opt. Maximum, & Imperatorem Augustissimum inter se committere, & (si Dijs placet) egregiè defendere. *Insignis hæ calumniæ reijciuntur p. 1. loco 2. post princ.*

220. *Fol. 200. post princ. ita scriptum:* Vehementer dolendum, hunc Religiosum Patrem ausum fuisse defectum iustitiæ Cæsaris dicasterio, & Edicto generali affingere; cùm hæretici (quibus iteratò, prô dolor, patrocinatur) in propriâ causâ, plus quàm Argi, nihil horum obijcere palàm sint ausi. *Et mox:* Mallent vtique Sectarij nullum agnoscere Iudicem, quàm S. C. Maiestatem: Nullum Aduocatum Ecclesiarum, quàm adeò potentem: Mallent nullos Actores experiri, quàm antiquos Ordines, si spem sibi in hac plusquam lubricâ Opponētis (*Laymanni*) sententiâ firmare liceret. *Refutata hæc sunt p. 2. cens. 1. §. Tertia fraus, & §. Quarta fraus.*

223. *Fol. 202. ante medium, ita scribitur:* Apparet, eum (*Laymann*) vltra, quàm hominem Christianum & Catholicum, ne dicam Religiosum deceat, Sedis Apostolicæ declarationibus, S. C. Maiestati, eiusque decretis ac Tribunalibus sese opponere, res iudicatas in controuersiam ducere, *&c.* Vt causam habeat S. C. Maiestas Auctorem ad publicam reuocationem compellendi, aut illius editū tractatum prohibendi, confiscandi, & supprimendi, veluti S. R. Imperij Constitutionibus, & ipsimet Imperatorio supremo muneri ac Tribunalibus ad-

uer-

uersantem, nociuum, scandalosum, & hæreticorum iniquæ causæ patrocinantem. *Refutatur ead. p. 2. cens. 1. propè finem.*

Fol. 219. n. 5. hoc dictum falsò imputatur Iustæ defens. Auctori : Si Religiosi aliqui malè viuant in Monasterio, esse Canonicam Monasterij ad alium Ordinem transferendi causam, idque constare ex Ecclesiæ praxi. *Refellitur p. 2. cens.* 40. 250.

Fol. 253. ante medium, tanquam mea verba & doctrina refertur, quòd coram Deo facilè possit excusari, si in iure diuino stabilitæ fundationes, contra voluntatē Fundatorum, etiam in aliorum præiudicium, ad alios vsus conuertantur. *Refutatur p. 2. cens. 46. §. Altera.* 340.

Eod fol. 253 ex supposititijs, & dudum explosis, Monitis priuatis Societatis, *allegantur, quæ in Societatis nostræ infamiam cedere possunt. Refutantur ead. p. 2 cens. 46. §. Quarta.* 340.

Fol 258. prope finem, dicitur; Ordines antiquos prouocatos fuisse ad scribendum *contra Patres Societatis*; *quia* ante susceptæ defensionis (*qui est libellus famosus in Iusta defens. à me refutatus*) editionem, Annotationes, itemque Disceptatio solida & modesta prodierint. *Hoc dictum de mendacio clarè cōuincitur p. 2. cens.* 48. 356.

Fol. autem 258. in medio : Ipsemet Opponens in disceptatione solida & modesta, mox sub initium præfationis, antiquorum Ordinum Religiosos Monasteria sua legitimè repetentes, Diabolo Cappellam secus templum ædificāti comparauit, antequam suscepta defensio prodiret in lucem. *Hoc mendacium refutatur ead. cens.* 48. 356.

Fol. 262. defenditur, quòd in allegato susceptæ defensionis *libello scriptum est*, quòd Societas pedetentim à primo instituto deficiens, ad occasum vergit. *Et*, Obseruantiam regularem apud PP. Societatis obfuscari : *Ostendere hæc conatur Auctor Astri inextincti partim ex R P. Claudij Aquauiuæ, Generalis Præpositi, ad Superiores Societatis scriptis industrijs; partim ex supposititio, ac dudum damnato libro Ioannis Marianæ. Refelluntur ista, p. 2. cens. 49. §. Paucula quædam.* 361.

Hæc sunt, non omnia, sed præcipua aduersùs me, & Societatem nostram effusa mendacia, calumniæ, & imposturæ, quas mox ab initio exhibere volui, vt Lector clarè perspiciat, à responsione, ac refutatione Astri inextincti, abstinere nobis non licuisse; tum alias ob causas, tum vel maximè ob hanc, quia liber ille, eiusque cumulatæ imposturæ, eò potissimùm spectant, vt aliorum Ordinū Religiosi aduersùs minimam Societatem nostram, concitentur, atque armentur. Quos proinde, ostensis fallacijs, atque calumnijs Astrologi, exhibitaque in contrarium veritate, in pace, concordia, & beneuolentiâ erga Patres Societatis conseruare necesse est. Si enim verò silentio rem præteriremus, mox plures adessent, qui

palàm obijcere, ac ſcribere auderent, Indicium id eſſe confeſſionis. Cùm enim alios libros, qui aduersùs eandẽ Societatem ſcripti ſunt, refutare non intermiſerint; quæ cauſa eſt, (dicerent illis) cur ab hoc Aſtro inextincto repellendo ſe cohibeat; niſi quia veritatis radij eorum oculos nimis perſtrinxerunt, vt contra intuitum figere, atque obiecta refellere non potuerint? Atque adeò falſitas, & error pro veritate, calumniæ atque iniuſtitia pro æquitate acceptarentur; cum publico multorum, etiam ipſorum, vti dixi, Religioſorum cuiuſque Ordinis, detrimento.

Diuido autem ſcriptionẽ iſtã in duas partes: in priore capita quædam, ſeu locos enumerabo, è quibus potiſſimũ fallacias ſuas deprõpſit Aſtrologus, ſiue Aſtri inextincti Auctor; eaque exemplis declarabo. In poſteriore parte particulatim, ſeruato foliorum Ordine, recenſebuntur, quæ in eo libro continẽtur, pſeudologiæ, calumniæ, ac impoſturæ, ſaltem potiſſimæ, atque ad nocendum, ac veritatẽ euertendam magis opportunæ. Et annotabo ſubinde folia ex Actione perduellionis, atque Anotomia, in quibus eadẽ obiecta, aut tractata reperiuntur; vt appareat, ex eâdem fraudum officinâ, communicatis quorundam conſilijs, hæc omnia prouenisse.

Non poſſum autem non priùs monere Lectorem; Aſtrologiæ Eccleſiaſticæ Auctorẽ, toto eo libro, vel maximè aduersùs Trid. Cõc. decretum ſeſſ. 4. de editione & vſu ſacrorum librorum delinquere; Scripturã Sacram paſſim ad ſenſum ſuum detorquet, nulla prorſus habitâ ratione interpretationis eius, quam ſancta Mater Eccleſia tenet, & quam SS. Patres nos edocent. frequenter quoque verba, & ſententias Sacræ Scripturæ ad profana conuertit, ad ſcurrilia, detractiones, infamationes. Inſuper in lucem producit alium itidem infamantem, atque errores continentem, veluti is à Regulari aliquo ſcriptus fuerit, cuius tamẽ nomẽ nõ exprimitur: Et ideò Aſtrologus pro Auctore habẽdus eſt, donec illum prodiderit. Denique tã Aſtrologia, quàm adiectum ei Aſtrum inextinctum de examinatione & approbatione doctrinarum, quas in ſe continẽt, nullum penitus teſtimonium, aut indicium præ ſe ferunt. Quæ omnia Tridentinæ Conſtitutioni, eiuſcemodi libros ſub cenſuris & pœnis Canonicis prohibenti, prorſus aduerſantur.

PARS

PARS PRIMA.

Complectens Enumerationes Locorum, è quibus, tanquam promptuarijs, fallacias suas deprompsit Astri inextincti Auctor.

LOCVS I.



RIMVS locus, ac veluti sedes deceptionis est, in quâ egregiè laborauit Astrologus, vt statũ quæstionis mutaret, ac peruerteret. Exempla plura occurrent in p. 2. Censuræ: Hic verò aliqua breuiter enumerabo.

29.n.1. Fol. 102. in princ. Assertionem suã, seu quæstionis decisionem proposuit Aduersarius, quòd *de iure communi omnia Monasteria* (Ordinis v.g. S. Benedicti, quorum Professi olim ab Acatholicis expulsi. dudum omnes mortui sunt) *necessariò debent restitui personis eiusdem qualitatis & Religionis, cuius erant olim demortua; & quòd Religiosis Ordinum hac de causa legitimè com-*
29. *petat actio.* Sed mox eod. fol. 102. & pluribus seqq. aliò abducit quæstionem; quando operosè, plurimis adductis auctoritatibus, tanquam rem maximè pertinentem ad controuersiæ statum, & ex quâ omnis eius decisio pendeat, ostendere conatur, quòd omnibus è Monasterio, aliòue Ecclesiastico Collegio per mortem sublatis personis, ordinatio Monasterij seu Sacri Collegij ad proximũ Prælatum deuoluatur. Cum autem ego hoc nunquam negauerim, imò apertè affirmârim iustæ defens. pag. 6. & 16. liquet inde, omnia ea, quæ fol. 102. vsque ad 108. continentur, 29.
frustra, & tantùm Lectoris perturbandi, ac quæstionis aliò deriuandæ causa, ab Astrologo disputata fuisse. Dicam de hac re iterum p. 2. cens. 3. & 4. 34.

Alterum. Cum fol. 113. in fine, quæstionem controuersam aperuisset, An mortuis omnibus de Conuentu, Monasterium titulos & iura Prælaturæ, Prioratus &c. eo ipso perdat; atque ipse in princ. fol. 114. negantem partem statuisset; ilico allegando Doctorum auctoritates quæstionis statum aliorsum deriuat; atq; per eas id copiosè ostẽdere conatur, quòd à me nunquam negatum fuit. Loquuntur enim plerique DD. de 45.n.35. 46.n. 36.

iuribus ac priuilegijs Monasterij, alteriusue Ecclesiæ materialis, ea non extingui, sed permanere, tanquam loco aut rei affixa, si totum Collegiũ siue Congregatio soluta sit per mortem omnium; secùs autem esse, si soluta sit siue extincta per Superioris sententiam. Quæ receptissima doctrina à me nunquam negata fuit: imò priorem eius partem, quæ sola ad propositum spectare potest, palã asserui pag. 6. 7. & 444. Iustæ defens. Sed alia, & quidem præcipua quæstio erat de ipsius Collegij seu Congregationis spiritualibus Titulis, Prælatura, inquam, Prioratu &c. hos dixi, si Collegium morte omnium solutum fuerit, extinctos esse, atque exinde inferebam, neminem iam adesse, qui bona, iura, ac priuilegia Ecclesiæ materiali, secundùm benignam iuris dispositionem inhærentia ac veluti affixa, per propriè dictam actionem, tanquam sibi debita, vindicare & repetere queat; ac proinde iura & bona ea vacantia esse, atque ad Superioris dispositionem deuoluta. De hac re iterum dicendum erit in p. 2. cens. 6. & seqq.

Hic autem, vt vanitas Aduersarij appareat, transcribam verba eius ex
50. n. 48 fol. Astri inextincti 119. *Syllogismum* Laymanni *Opponentis aggrediamur*, qui talis est: *Si iura aliqua, aut bona vacantia sint, nemo eorum dominium, aut ius ad ea pratendere, actionemque pro ijs instituere potest; sed dispositio de ijs ad illum pertinet, qui Reipubl. praest, l. 1. C. de bonis vacantibus, l. 1. ff. de iure fisci. Quid hic Opponens intelligat per nomen IVRA, satis declarat paßim* (citatq; pag. 7. & 247. & 444.) *nempe iura Collegij, titulorum seu beneficiorum, Abbatiarum, Prioratuum &c. Per bona verò Monasteriorum intelligit bona immobilia & prouentus eorundem.* Postea respondendo multa dicit, quæ digna non æstimo, vt adferantur: solùm monere volui, malitiosè, & contra apertum verborum meorum sensum, per vocabulum IVRA, Aduersarium intelligere Spirituales Monasterij titulos: (cum ijs ipsis in locis, quos ex Iusta defens. allegat, vidėl. pag. 7. & pag. 444. clarissimè significarim, per bona, census, aliaque iura vacantia, non spirituales titulos, sed iura, quæ materiali Ecclesiæ siue Monasterio adhærentia sunt, intelligi debere. Pag. 7. Iustæ defens. hæc verba leguntur.

Si Ecclesia, Monasterium, vel Sacrum Collegium adhuc adsit, vel eius restaurandi spes aliqua sit, licet Prælatus, Conuentus, aut beneficiarij mortui; hoc in casu, bona immobilia, & census secundùm benignam iuris fictionem, censentur pertinere ad locum, seu Monasterium & Ecclesiam materialem, cuius tituli extincti sunt, tanquam accessorium ad suum principale; ita quidem, vt si Monasterium, per legitimam Ecclesiasticam auctoritatem, cum Cæsaris, tanquam Patroni, & noui Recuperatoris consensu, alijs aßignetur & donetur, ij per consequentiam, ius ad bona, census, & quæcunque Monasterio sunt adhærentia, acquirant; eaque à possessoribus ac detentoribus repetere possint.

Et pag. 11. Iust. defens. vnde verba suprà positæ ratiocinationis ab Astrologo

ſtrologo accepta ſunt, rationem reddidi; cur bona & iura Eccleſiæ materialis vacantia ſint, & ad eius qui Eccleſijs præeſt, diſpoſitionē deuoluta; quia omnes qui in corpore Collegij ſeu Congregatione ſpirituale ius ac titulum habuerunt, mortui ſunt; ideoque Collegio actualiter extincto, nemo adeſt, qui ius prætendere, actionemque inſtituere poſſit, vt infra dicitur p.2.cenſ.7. Pag. item 444. apertiſſimè diſtinxi inter iura titulorum ſpiritualia, & iura Eccleſiæ materialia; illaque dixi extincta eſſe; hæc autem vacantia. Locus integer reperietur ead. cenſ. 7.

47. n. 37. 38. Aliqui porrò ex Doctoribus, quos allegauit Aduerſarius cit. fol. 114. 115. loquuntur quidem de iuribus ipſius Collegij ſeu Corporis Cōgregationis; attamen non probant ipſius negatiuam, ſed magis contrarium indicant; videl. ſi omnes è Collegio mortui ſint, quòd iura Collegij veluti dormiant, & in habitu maneant; ac poſtea alijs inſtitutis, reſurgāt,
49. prout Aſtrologus refert eod. fol. 115. circa medium. Hæc autem mihi non obſtant, ſicuti in ead. cenſ. 7. oſtendam: Obſtant verò Aſtrologo; Si enim iura Collegij morte omnium ſoluti, per Superioris auctoritatem reſurgere debent, ſequitur quòd ea ceciderint, ac veluti mortua fuerint, ſeu extincta, vti ibid. latiùs declarabo, reſque in eo conſiſtit; Diſcrimen videl. eſſe inter hos duos caſus, quorum vnus, ſi ſacrum Collegium diſſolutum ſit, ſine ſpe reparationis, vt ſi per Superioris ſententiam extinctum; alter, ſi diſſolutum ſit, cum ſpe reparationis, videl. ſi per mortem omniū Collegiatorum eſſe deſierit, ita vt ſpes ſit nouæ ordinationis. Nam in priore illo caſu, tituli, ac iura ſpiritualia ſeu Collegiata omnimodè deſijſſe, atque extincta cenſentur; in poſteriore autem caſu, quodammodo permanere, videl. habitu ac potentia. Ita enim ex doctrina Alexandri referunt Felinus in c. accedentes. n. 2. de præſcript. Lælius Zechus de Republ. Chriſt. cap. 26. n. 2.

Tertium. Fol. 191. Aſtri inextincti, perturbato quæſtionis ſtatu, atque verbis, & mente Auctoris Iuſtæ defenſ. prout Aſtrologo libuit, explicatis, ita in illum inuectus eſt. 189. n. 35. *Stultitiæ Cæſarem, eiuſque Sacrum Tribunal arguit Opponens: I. Quod Monaſteria adiudicarit eis Ordinis perſonis, ad quas ante detentionem pertinebant, cum tamen illæ perſonæ dudum omnes fuerint mortuæ, & non exiſtentibus reſtitui non poßint.* II. *Quòd Imperator ex officio ſedens, acceptauerit narrata non vera, ac per ſententiam declarauerit ſupplicantes Abbates eſſe eas perſonas, ad quas Monaſteria pertinebant,* §. Hierumben *&c. cum tamen, iuxta mentem Opponētis, Abbates iſti nondum docuerint, ſe eſſe illas perſonas Ordinis, neque probare poßint ſe Monaſterijs ſpoliatos fuiſſe, conſequenter nunquam ad ipſos pertinuiſſe.* III. *Quòd Imperator in re Eccleſiaſtica ad ſe non pertinente, tulerit ſententiam, adeoque etiam in Edicto generali iura Prælatorum Eccleſiæ inuaſerit, decernendo qualibus perſonis iuxta fundationem Monaſteria debeant reſtitui; iam autem ea quæ fiunt à Iudice,*

si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt, reg. iuris. Qua ratione sententia est nulla: Et consequenter Edictum Cæsareũ nullius est valoris: quæ tamen omnia absque Læsione Sacræ Cæsar. Maiestatis nemo asseruerit. IV. *Mandata & literas à Cæs. Maiestate datas, inquit idem Oppositor, tendere tantùm ad executionem faciendam, si ius & fundamentum restitutionis faciendæ liquidum sit (quasi verò Cæsar non agnouerit esse liquidum sententiam toties ferendo categoricam pro Ordinibus?) Igitur Imperator immittendo alicubi antiquos Ordines, iterum fecit, quod sibi non licuit; nam aiunt, non licere Imperatori, aut eius Commissarijs, vllis Religiosis possessionem bonorum recuperatorum tradere, nisi ante traditionem vtiles illos iuxta fundationem, ac legitimè vocatos & qualificatos esse, sufficienter constiterit.* Allegat autem Astrologus Iustæ defens. pag. 268. 368. 369. ex quibus hæc colligi possint.

Cæterùm, si ij ipsi textus inspiciãtur, clarè apparebit, à statu motæ controuersiæ, atque responsis meis alienissima esse, quæ calumniosè hîc imputantur. Nusquam enim id in dubium vocatum fuit, num rectè egerit Cæsar, Monasteria recuperata per sententiam, aut executionis mandata eiusdem Ordinis Religiosis restituendo, vel adiudicando; sed quæ in locis allegatis dicta fuerunt, ita se habent Theologus secularis, in Iudicio suo proponebat pag. 268. 269. *Non tantùm iuxta sacros Canones, sed etiam iuxta ipsa Edicti verba. Non licere* I. *Imperatori, aut eius Commissarijs, vllis Religiosis possessionem bonorum recuperatorum tradere, nisi ante traditionem vtiles illos iuxta fundationem, ac legitimè vocatos & qualificatos esse sufficienter constiterit.* II. *Non licere vllis Religiosis propria auctoritate vlla Monasteria, aut eorum bona occupare, aut occupata retinere.* III. *Non licere Imperatori, aut eius Commissarijs permittere, vt Religiosi vlla Monasteria, aut bona Ecclesiastica propria auctoritate inuadant, aut detineant.* IV. *Non licere Imperatori, aut eius Commissarijs Religiosos, qui Monasteria propria auctoritate inuaserunt, vtpote intrusos, in tali detentione defendere, sed oportere eos ad sua Monasteria, vel Ordinarios remittere.* Hæc Theologi dicta ab Aduersariorum impugnatione defendere aggressus sum. Et quid obsecro, verius dici potest, quã Religiosos ad recuperata Monasteria introduci non posse, nisi vtiles, legitimè vocatos, & qualificatos esse constiterit? Item Religiosos, nisi ius ac titulum sibi competentem exhibeant, intrusionis vitium incurrere, si vel propriâ auctoritate Monasteria occupent, vel per secularem potestatem, non præcedente Cannnica Episcopi, vel Romani Pontificis institutione, recipiant, prout dixi cit. pag. 269. Attamen sufficere etiam tacitũ, siue rationabiliter præsumptum cõsensum, & approbationem, monui pag. 16. Iustæ defens. & clarissimè ea ipsa, quam contra me allegauit, pag. 369. *Hæc à me dicuntur ex hypothesi, si Domini Abbates & Religiosi* (de quibus cõtrouersia mota fuit) *Monasteria tanquam sua, & sibi debita vendicare velint, prout libelli Auctor passim significat. Sin autem rogare, aut petere, vt secundùm æquitatis rationem, quia eiusdem Ordinis*

Religiosi sint, tunc Romanus Pontifex vltro consentit, vt plura ipsis Monasteria assignentur; ideoq; nihil tunc agitur contra Sanctissimi D.N. voluntatem.

Ecce, quòd in hoc Iustæ defensionis, vt & alijs pluribus locis, Religiosis Ordinum S. Benedicti, Canonicorum Regularium &c. petitio concedatur, seu imploratio supremi officij Cæsarei, propter æquitatem, in eo fundatam, *quia eiusdem Ordinis Religiosi sint*. Sin autem de iure suo adeò contendere velint, vt Monasteria tanquã sibi debita ex iustitiæ lege, per propriè dictam actionem, exigant &c. hoc in casu, dixi, Sacr. Cæs. Maiestatẽ non ferre sententiam, neque executionem imperare, nisi ius petentium manifestum sit, vel per Ecclesiasticã potestatem decisum, pag 368. 369. Iustæ defens. Eadem porrò, quæ hic ex Astro inextincto protuli, reperientur etiam in act. perduellionis; fol. 10 11.

LOCVS II.

ALter locus, seu modus decipiẽdi nimis frequens est apud Astrologum, quòd falsas doctrinas, tãquam à me traditas, referat; adiectis subinde pauculis Iustæ defens. verbis, ex quibus in speciem id colligi posse videatur. Exempla huius rei infra proferentur; hic autem vnum, aut alterum producam.

208. Fol. 190 circa medium ita scripsit Aduersarius: *Opponens passim fatetur expressè, mandata ea Cæsarea, quæ in literis ad Principem Sabellum 25. Octobr. An. 1629. datis emanârunt.* Falsum est, me vnquam id fassum esse in Iusta defensione: Quotiescunque enim de hac re sermo incidit, apertè dixi, in ijs ad Principem Sabellum Oratorẽ Cæsareum datis literis, quædam inserta, aut mandata fuisse, contra sciẽtiam, voluntatem, aut praxin. Sed quo modo ostendit Astrologus, talẽ à me confessionem emanasse? Allegat procem. n. 9. & pag. 165. 166. 327. Iustæ defens. in quibus omnibus locis nullus apex seu litera reperitur, quæ vel in speciem Aduersario fauere possit, præter hæc verba, *Mandata Cæsarea*, quæ etiam diuerso charactere fol. suo 196. exprimi voluit; sed non sine additione, ac falsatione, quasi fassus fuerim, *Mandata ea esse Cæsarea*; Ego autem dixeram esse literas, aut mandata Cæsarea obreptitia, in quæ falsa quædam, contra mentem Cæsareæ Maiestatis, ab aliquo intrusa erant, &c. Quæso te; si quis dicat, hominem esse fictitium, fateturne esse hominem? Si quis dicat, literas quæ Titij nomine emanârunt, esse obreptitias, falsatas, fateturne esse literas aut mandata Titij?

Fol. 197. n. 52. ita loquitur Astrologus: *Hîc sub finem præterire nequeo, quin addam, quid sentiat P. Laymann de Consiliarijs S. Cæs. Maiestatis: nam & hoc in Imperatorem redundat, qui, si bonus est, malos Consiliarios non tolerabit: sin verò tolerat, quomodo bonus erit, & innocens?* 215.
Et in margine hæc annotatio legitur, *Quid sentiat Opponens* Laymann *de Consiliarijs Imperatoris.* Et in Indice, *Antonius S. R. I. Princeps & Episcopus*

Viennensis ab Aduersarijs grauiter perstringitur; atque inter hos etiam me numerat, vti manifestum fit ex folijs
215.262 quæ allegantur 197.222. Astri inextincti. Verùm quid obsecro, ex tota Iusta defensione afferri potest, vnde vel indicium aliquod oriatur, eius Auctorem de Cæsar. Maiestatis Cõsiliarijs malè sensisse; aut nominatim perstrinxisse S.R.I. Principem & Episcopum Viennensem? Nihil penitus à Calumniatore affertur, nisi quòd Romæ à quodam Theologo scriptũ, cuius titulus, *Animaduersiones in causa bonorum Ecclesiasticorum & Monasteriorum extinctorum Germaniæ*, oblatum fuerit; in quo Cæsareæ Maiestatis Consiliarij, & speciatim Illustriss. Dom. Episcopus Viennensis, Abbas Cremifanensis grauiter perstringuntur. Sed quid hæc ad Lay-
215. mannum? Quia, inquit cit. fol. 197. *Theologum illum calidè defendit, plurimumq; commendat, asserens esse virum clarißimum*, pag. 442. *Clarißimum & rerum Germanicarum peritißimum Theologum*, n.37. proœm. Quod etiam obiecit Melander in act. perduell. fol. 39.

Vt clarè appareat hominis impostura, referam quid à me scriptum fuerit. Eo n.37. commendaui in vtroque iure fundatam doctrinam Romanorum Iureconsultorum, qui cõtra rationes mandato ad Excellentiss. Oratorem Cæsareum insertas *responderunt, Dominis Abbatibus, ac Monachis, seu Regularibus qui nunc viuunt, nullum ius actionemq; ad Monasteria ista, quippe quorum tituli, & bona Ecclesiastica vacantia sint, competere; Ideoq; nihil ipsos prætendere posse, aut impedire, quo minus Sanctißimus D. N. intentionem suam de quibusdam Canobijs ad Collegia, Gymnasia, Clericorum Seminaria. Parochias applicandis exequatur. Quale consilium seu resolutionem obtulit etiam Clarißimus quidã, & rerum Germanicarum peritißimus Theologus, in quem libelli famosi Auctor calumniosè inuehitur in suo Epilogo.*

Pag. autem Iustæ defens. 442.443. hæc habentur: *Vir ille clarißimus, cùm intellexisset, Sanctiss. D.N. ex paterna cura & amore Germaniæ Ecclesias adiuuandi, intentionem suam declarasse, & ad Nuncium destinasse, de Monasterijs in sequestrum accipiendis, donec sua Sanctitas, ex Cæsaris assensu, disponeret; ita, vt Ordinibus restituerentur, aliqua tamen eorum ad Collegia, Gymnasia, Clericorum Seminaria, Parochias applicarentur; at verò huic iustißima & saluberrima intentioni, quam omnes Catholici approbaturi essent, non nisi paucos aliquos* (Astrologus allegans hæc verba, veluti interpretando, per parenthesin malitiosè adijcit, *nempe totum Consilium Cæsareum*, quod idem egit in Act. perduell. fol. 40. *remoram inijcere videret o proprij animi zelo, ac desiderio adiuuandæ Germaniæ, cuius statum ipse optimè cognitum habet, scripto aliquo breui, cuius titulus, Animaduersiones, &c. suggeßit, vt Sanctitas sua in proposito permaneret, & ad exitum perducere non desisteret; quandoquidem etiam Cæsar. Maiestas, pro sua pietate & Ecclesiam adiuuandi deuotione, ad hoc ipsum (prout ex Sereniss. Neoburgici Principis ad Pontificem destinato Legato intellexisse refert) penitus inclinet.*

Iudicet

Iudicet iam Lector, num ego aduersus amplissimos Cæsar. Maiest. Consiliarios quidquam peccarim, an verè Astrologus impostor sit. Non enimverò, quia clarissimum, & rerũ Germanicarum peritissimum vocaui Theologum illum (quod & verè dictum fuisse fatebũtur ij, qui virum illum nouerunt) non, inquam, propterea approbaui omnia, quæ in illo scripto comprehensa fuerunt. Quemadmodum si Aristotelem, aut Ciceronem, tanquam viros clarissimos, & scientiarum peritissimos, quis laudet, non ideò approbat omnia, quæ ab ipsis dicta aut scripta sunt. Accipienda enim est ac moderãda laus secundùm ea, quæ in ijs laudari possunt ac solent; videl. quòd in Rhetoricis, politicis, ac philosophicis scientijs excelluerint, quamuis & ij in quibusdam errarint.

215.n.52 Ast, inquit Aduersarius fol. 197. *Defendendo & approbando illas Animaduersiones. se quoque earum participem facit.* Et fol. seq. in medio: *Et quid egit, aut deliquit Reuerendiss. noster Dominus Antonius Abbas Cremifanensis, ob merita virtutum suarum, iam Illustrissimus Princeps & Episcop. Viennensis, quòd eum inter suæ Maiestatis Consiliarios præcipuè denigratum Pater Opponens* (Laymann) *aspiciat, nec defendat, sed veluti præ cæteris reum, omniq; defensione indignum, ipso scriptoris encomio fateatur? Hu nempe hominibus talis est causa, vt, nisi cum optimorum denigratione sit coniuncta, nulla putetur: discordias inter suprema Christianæ Reipubl. capita seminare, credunt esse patrocinari veritati: quam saluam esse negãt, quandiu Principes isti inter se non colliduntur. Hoc est flammas in Europa suscitare, & schismati iacere vicina fundamenta: hoc est classicum in aula Principum canere: hoc est Pontificem Opt. Max. & Imperatorem Augustißimum inter se committere, & (si Dijs placet) egregiè defendere. Poterunt isti vti malagmate, iam per Opponentem sibi præparato num. 49. procem.* Iustæ defens. *& seqq. Neque enim aliter iudicare fas est, quàm has animaduersiones famosi libelli titulo dignas esse, quippe quæ verè & grauißimè infamantia continent, quæque Auctor & approbator Opponens vel probare, vel (si iure res agatur) pœnam editi, & palam approbati libelli famosi subire meritò compellentur: præcipuè, quia summum Cæsaris dicasterium, in re tanti momenti, non absque suæ Maiestatis iniuria, infamare non sunt reueriti.*

Equidem cùm hanc grauissimam inuectiuam legi, admiratus sum huius hominis temeritatem: interim verò me ipsum consolatus, quòd vel ex hoc ipso appareat innocentia, quando de eo vehementer accusor, in quo manifestum est, nihil culpæ mihi adscribi posse. Siquidem animaduersiones illas vniuersim nunquam defendi, aut approbaui: sed Auctorem earum à calumnia defendi, quam ipsi *Compilator* ille, seu *susceptæ defensionis* Auctor obiecerat; videl. errasse eum Scriptorem Animaduersionum, qui S. D. N. *Suadere conatus est, vt bona Ecclesiastica in sequestrum accipi mandaret, donec sua Sanctitas de ijs disponeret:* Id dixi falsum esse, quandoquidem constaret, Sanctissimum id antè declarasse, quàm Consulens ille de ea re scribendi

bendi cogitationem suscepisset. Hac mihi oblata occasione, respondi ea, quæ paulò ante ex pag. 442. Iustæ defens. recensui. Cur autem id mihi non liceret, vt inter refutandum famosum *Susceptæ defensionis* libellum, etiam de hac re veritatem aperirem, innocentem excusarem, atq; Lectorem ab errore liberarem? Præsertim cum facilè alicui in mentem venire potuisset, aliquẽ è Societate Patrem fuisse, qui tale Sanctissimo consilium suggessisse insimulatur, quo in errore cõfirmatus etiam esset Lector, si rem obiectam tacitus præterijssem. Dixi itaque, non fuisse Religiosum ex Societate nostra, esse *virum clarissimum, ac rerum Germaniæ peritissimum*, quippe qui Germaniam cum inferiorem, tũ superiorem peragrarat, & quisnam Ecclesiarum nostrarum status esset, oculis & propria experientia cognouerat, & ideo ad dandum de bonorum Ecclesiasticorum applicatione consilium, seu potiùs id quod iam conceptum erat, stabiliendum, non inhabilis videri poterat.

Quòd verò in eodem Scripto Theologus ille, amplissimos Cæsar. Maiestatis Consiliarios perstrinxerit, equidem à me referri, atque refutari necesse non fuit. I. Quia de hac re dicendi nulla mihi ansa dabatur, cùm Aduersarius ille, cuius libellum ex instituto refutaui, nihil penitùs obiecerit. II. Falsum est, ab aliquo illati conuicij aut calumniæ alterum participem fieri, & approbatorem, preterquam si mandet, aut suadeat inferri, aut suo nomine illatam, postea ratam habeat; vel denique, si cùm posset ac deberet impedire, intermittat. Mihi autem nihil horum imputari potest. III. Longè prudentiùs me egisse non dubito, de eâ Domm. Consiliariorum suggillatione tacendo, quàm si eam, cuius nulla vnquam mentio facta, in lucem publicam produxissem. Quis enim virorum clarorum non malit, quæ contra ipsum voce vel calamo obiecta sunt verborum iacula, præteriri ac cõtemni, quàm vt à quolibet, nullo accepto mandato, scripto publico repellantur, & magis in notitiam deducantur? Præsertim, si ipsi, contra quos iacula tendunt, rei non ignari, longè meliùs se defendere nôrint. Idque consilium, tanquã prudens, priùs secutus fuit Compilator ille, quando in *suscepta defensione*, Animaduersionum mentionem quidem fecit, sed sugillationis illius nullam. Et in astro inextincto prudenter egit Astrologus, quòd ea, quæ sigillatim, seu, vt ipse loquitur, *præcipuè* obiecta fuerunt, non recensuerit, & (si retorquere argumentum liceat) eum (quẽ & Dominum suum agnoscit) indefensum reliquerit. Malunt enim viri clari, sicuti suprà dixi, tanquam inania, & parùm lædentia verborum iacula contemni, quàm repellendo animorum turbationes excitari.

Denique istud prorsus non capio, quod tum *Auctor*, tum *approbator* Laymannus, *si res iure agatur*, *pœnam editi & palàm approbati libelli famosi subire meritò compellentur*. Ergo enim libellum, seu scriptum illud nec edidi, nec approbaui; sed cum aliqua ex eo, quæ

ad

ad nullius infamiam pertinebant,non rectè recensita fuissent,quo modo res comparata esset,sine cuiusquam iniuriâ exposui, verbis suprà allegatis. Contra se ipsum autē vim argumenti retorqueat Astrologus, qui ea ipsa verba scripti & Romæ oblati libelli, quæ ad maximam iniuriam spectare fatetur,in publicam notitiam proferre non est veritus, fol. suo 198. Desinatque alijs iuris pœnam minari,quã ipsemet, frequentes calumnias & criminationes inferendo, meretur. Legat contra se l.Lex Cornelia. 5. §. In lege Cornelia,ff.de iniurijs & famos. libellis,l.1.Cod.de famosis libellis.Et l.vlt. Cod. de accusat. vbi ita Honorius & Theodosius Impp. decernunt: *Quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat* &c. *nec impunitam fore nouerit mentiendi licentiam, cùm calumniantes ad vindictam postulet similitudo supplicij.* Neque aliud hic adijcio,nisi quòd eadem, quam hic repuli,impostura, etiam in act.perduellionis reperiatur fol.39. Videri potest Antimel.fol.161.

LOCVS III.

Tertia fallacia ab Aduersario tam in actione perduellionis, quã in Astro inextincto sæpissimè vsurpata est, quòd verba & sententias ex Iusta defensione non eo sensu referat, quo dictæ sunt, sed sicuti ad suum decipiendi Scopum inseruire possunt: Eamque ob causam, quædam subinde verba omittit, & alia adijcit, præsertim particulas causales, & aduersatiuas,quibus ea, quæ in diuersis locis, alio atque alio proposito dicta fuerunt,inter se, fallendi causa, connectuntur. De hac ipsa re dixi in Prooemio I. & exemplum postea adferam p.2.cens.1.

Hic autem præterire non possum insignem in hoc genere falsationē fol. 91.astri inextincti, vbi ita scribit: *An Monasteria, inquit Opponens* (Iustæ defensionis Auctor n. 24. Prooem.1.) *& bona eorum Ecclesiastica de iure pertineant ad antiquorum Ordinum, quibus olim dicata erant, Religiosos, esse iuris quæstionem ecclesiasticam, seu ad forum ecclesiasticum pertinentem: quæ iuris quæstiones ait ibidē, dum à Sacra Cæs. Maiestate tractantur & definiūtur, Sedi Apostolicæ & immunitati Ecclesiasticæ multùm derogatur.* Postea verò explicando infert: *Vult ergo dicere,per Edictum generale Cæsareum,quo decernitur, omniū bonorum restitutio de iure facienda personis iuxta fundationem idoneis, adeoque eorum Ordinum Religiosis, quibus olim dicata, & fundata erant Cœnobia, Sedi Apostolicæ & immunitati Ecclesiasticæ multùm derogari, eò quod causa ista suapte natura Ecclesiastica sit, neque pertinens ad politica negotia.* 8.

Hęc merissima impostura,atq; falsatio est:Quia neque verba,quæ mihi tribuuntur, dixi in Iusta defensione, neq; cum ea cōnexione, multò minùs eo proposito, videl. oppugnandi Cęsareum Edictū.Siquidē de hoc nullus mihi sermo fuit,sed de epist.Cæsarea ad Oratorē,quã n.2.Prooem.propter intrusas rationes, tanquam falsam & obreptitiã,dãnaui.Atq; vt clarè intelligeretur,cur eam improbarim(quia

plures in se articulos cõtinebat) subiunxi num. 23. 24. *Non eò tendunt, iam recensita, quòd Cæsareæ Maiestatis iura atque regalia prætendantur, quæ per eiusmodi translationes Monasteriorum impediri poßint. Id enim causæ cognitionem postularet, cùm iusta esse poßit prætensio. Neque eò tendunt, quòd eiusmodi dispositiones & applicationes absque Scientia & consensu Cæsaris, his in casibus* (per Sedem Apostolicam) *non fieri, æquum sit: Propterea quòd Cæsarea Maiestas, propter labores, curas, sumptus bellicos, quibus Monasteria & bona* Ecclesiastica *recuperauit, veluti nouus Fundator, Dotator, aut Benefactor agnosci debeat. Quæ est prioris Theologi consideratio, magnam æquitatem præ se ferens. Sed eò tendunt quæ suprà* (n. 22.) *recensui, vt iuris quæstio, eaque Ecclesiastica, seu ad forum Ecclesiasticum, maximè ad Sedis Apostolicæ examen pertinens examinetur, & planè definiatur; Videl. Monasteriorum titulos extinctos non esse, nec bona eorum Ecclesiastica vacantia, sed de iure pertinere ad antiquorum Ordinum, quibus olim dicata erant, Religiosos; Cæsarem obligatum esse, vt his, & non alijs restituat, proinde, propter conscientiam non passurum, vt aliò per Sedem Apostolicam applicentur. Id enim vix ac difficulter coram Deo excusari posse, cum defunctorum vltimæ voluntates inuiolabiliter seruari debeant. Hæc autem & per se falsa sunt, atque, dum iuris quæstiones, quæ suopte obiecto, Ecclesiasticæ atque spirituales sunt, (quippe de spiritualibus titulis & vnionibus) tractantur & definiuntur, Sedi Apostolicæ & immunitati Ecclesiasticæ multùm derogatur.*

Iste est locus integer verborum, quem Astrologus omittendo, addendo, malè connectendo, turpiter falsauit. Aduertat autem hic prudens Lector primò; Quomodo Aduersarius à tramite, & statu quæstionis, & quidem in hac materia principali, declinet, illamque aliorsum per vim deriuare conetur. Hæc enim eo in loco Procemij, & toto penè libro Iustæ defens. tractata est quæstio; Num rectè in epist. ad Oratorem, & Episcopos imperij Principes, dictum, ac decisum fuerit, Monasteria ab hæreticis recuperata, de iure pertinere ad eiusdem Ordinis Religiosos. Hanc decisionem, dixi in epistolis illis obreptitiè, & perperam fuisse positam, etiã idcirco, quia iuris Ecclesiastici sit, & ad Sedis Apostolicæ examen pertinens. At verò Astrologus rem aliò deducit, videl. ad Edictum Cæsareum, quasi ego fassus fuerim, Cæsarem in eo Edicto decreuisse, vt Monasteria quæq; eorundem Ordinum Religiosis, tanquam de iure debita, restituerentur.

Secundò, Malitiosè peruertit sententiam Auctoris Iustæ defensionis, in Procem. núm. 24. adijciendo verba ista, *à Sacra Cæsar. Maiestate.* Quasi eo in loco pijssimum Imperatorem nostrum, vt Ecclesiasticæ immunitatis violatorem perstrinxerim. Cùm tamen in eo ipso Procemio nihil fermè aliud egerim, quàm vt Cæsaream Maiestatẽ à tali, quæ ex Suppositititijs eius epistolis in hominum animis nasci potuisset, opinione liberarem.

Tertiò aduertat Lector, maximoperè laborare Aduersarium, vt Le-

ctori

ctori persuadeat, in generali Edicto Cæsareo definitum fuisse, vt Monasteria suis quæque Ordinibus, tanquam de iure debita, restituerentur. Cùm autem textum Edicti, suæ causæ fauentem allegare non possit, nisi in terminis generalibus, & non conuincentibus, videl. decreuisse Cæsarem, Monasteria & Sacra Collegia ab iniquis detentoribus repetere, atque curare, vt de ijs, personis vtilibus, iuxta fundationem legitimè vocatis, & qualificatis prouideatur: At verò, quòd soli ij Religiosi, qui eiusdem Ordinis sunt, personæ vtiles, iuxta fundationem legitimè vocatę & qualificatę ad recuperata Monasteria cęseri debeant, siue quòd alij Religiosi aut Clerici, vtiles & qualificati per legitimam vocationem fieri non possint, id in Cæsaris Edicto non reperiatur: Idcircò Astrologus alia suæ causę fulcra quærit. Significat itaque, Iustę defens. Auctorem non diffiteri, in Cęsareo Edicto contineri, quòd Monasteria eiusdē Ordinis personis de iure debeantur, sed eam definitionem factam esse circa iuris ecclesiastici quęstionem, adeoque extra secularis po-
8. testatis limites, cit. fol. 91. Et in Act. perduell. fol. 11. expressius quoque fol. 191. astri inextincti: *Stultitiæ Cæsarem arguit* Opponens Laymann. *quòd in Edicto generali iura Prælatorum Ecclesiæ inuaserit, decernendo qualibus Personis iuxta fundationem Monasteria debeant restitui.* Locum integrum suprà reperiet Lector in loco primo fallaciarum.

Quartò aduertenda est hæc calliditas: quòd eam, quam ex generalibus Edicti terminis malè collegit decisionem Cæsaream, alijs ipse in locis, tanquam indubitatam, & expressam
Lectori obtrudit, fol. 188. num. 18. *Sa-* 184.
cra Cæsar. Maiestas per Edictum generale restitutionem prioribus Dominis & Ordinibus faciendam, nullum Monasterium
excepisse legitur. Et fol. 191. nu. 40. *Sub-* 196.
reptitia erunt Laymanno *tum alia rescripta Cæsarea &c. tum vel maximè ipsum generale restitutionis Edictum, quo restitutio ipsis Ordinibus facienda expressè statuitur, vt inquit Imperator in epist. ad Principem Sauellum* 25. Octob. 1629. Vbi noua fraus latet. Nam verba illa *restitutio ipsis Ordinibus facienda* typo mutato excudi curauit, vt Lector existimare posset, ita esse *expressè statutum* in Edicto: Tunc enim causam obtinuisset, nisi Aduersarius eius, seu Opponens Laymannus, dicere vellet, Cæsarem ita statuendo potestatis suæ limites excessisse. Sed re de manifesta Cæsarei Edicti falsatione argui possit, idcircò lubricè & ambiguè ponit Verba, vt saltem per adiectionem sequentium, (*Vt inquit Imperator &c.*) à falsi crimine se extricare queat.

Si ars mentiendi, ac multimodè fallendi, falsandi approbata esset, maximus profectò ad Astrologum istū discipulorum concursus esset; cum appareat, egregiè in eo genere instructum & exercitatum esse Magistrum.

Similem captionem fol. 183. obij- 177.
cit, circa medium: *Generale Restitutionis Edictum præcipit, Monasteria quæque suis Ordinibus restitui, vti ostensum est in*

rescriptis. Ecce, quomodo iterum falsam suam propositionem, postrema verborum adiectione moderatur.

Quod porrò attinet ad rescripta ea, seu epistolas Cæsareas, ita dicendum est: I. Posito etiam, (quòd tamen verum non est) Cęsaris mentem fuisse per rescripta decidere, Monasteria eiusdem Ordinis Religiosis, tanquam de iure debita, restitui oportere, nihilominus falso dixisset Astrologus, hanc decisionē contineri in Edicto. Præterquam quòd Edicti lōgè maior auctoritas sit, quàm rescriptorum: Cùm publicam & recognitam contestationem habeat, nō item quæ in Aduersariorum libellis referuntur rescripta. II. Distingui debet inter Cæsarea rescripta seu epistolas, in quibus Monasteriorum restitutio eiusdem Ordinis Religiosis designatur. Aut enim significant, secundùm ius naturale, canonicum, Germaniæ Concordata, Cęsareum Edictum &c. ita fieri necesse esse, atque idcirco applicationi ad alios vsus pios locum esse non posse, talia rescripta, qualia erant illa ad Oratorem, & quosdam Episcopos, non verè Cæsarea sunt, sed contra Cæsaris mentem ac voluntatem, prodierunt: Vel significant, intentionem Cæsareæ Maiestatis ad id inclinatam, vt Monasteria suis quæque Ordinibus, quorum Religiosi olim spoliati fuerunt, restituantur, neque eam permissuram, vt translationes ad alios pios vsus absq; suo consensu fiant: talia rescripta Cæsarea obreptionis nunquam insimulaui: Idque propter quandam æquitatem in Iusta defens. non vno tantùm in loco explicatam, partim intuitu Augustissimi Imperatoris, noui Recuperatoris & supremi Ecclesiarum Aduocati, partim intuitu ipsorum Ordinum, quorum haud dubiè in applicatione istâ potior habenda ratio est. Quamobrem hæc semper non tātùm Sacræ Cæs. Maiestatis, sed etiam Sanctissimi Domini nostri intentio fuit, vt pleraque Monasteria Ordinibus ijs, quorum Religiosi olim expulsi aut spoliati fuerunt, restituantur, prout hæc à me explicata sunt Iustæ defens. Pag. 442.

Itaque status totius controuersiæ inter me & Aduersarium in hoc puncto residet, quem ipsemet breuibus verbis expressit, fol. 188. n. 18. astri inextincti, vbi ex Iusta defension. Proœm. n. 25. retulit: *Incumbere necessitatem defendendi Imperatorem, ne vinculum & obligatio Cæs. Maiestati frustra injiciatur, quasi omnia, & quidem tanquam de iure debita, Monasteria antiquis Ordinibus restituere debeat*: Postea huic asserto antithesin suam opponit: *Nos suprà demonstrauimus, omnia de iure deberi.* 184.

Vnus solus eximendus est scrupulus, quem inijcit Astrologus fol. 181. nu. 1. In Iusta defens. pag. 28. dictum fuisse, ne quidem in alijs ante mensem Octobrem anni 1629. editis decretis ostendi posse, quòd Monasteria ijs ipsis Ordinibus, pro quibus fundata, restituenda sint: Id verò falsum esse, pluribus allegatis rescriptis, seu epistolis in Ordinum fauorem datis, ostendit ibi Astrologus, & iterum fol. 290. 291. Facilè respondeo: Consideel- 173. 410. 411

ſiderãdum eſſe, cur, ſeu quâ occaſione annotatio illa pag. 28. poſita fuerit, videl. quia in ſuſceptæ defenſ. libello hæc verba legebantur, pag. 27. Iuſtæ defenſ. *Temerariè* duo Theologi *inuadunt, & retortis, vt putant, rationibus, quibus Sacra Maieſtas permota, Oratoris ſui operâ & induſtriâ caueri voluit, ne qua in antiquis fundationibus mutatio fieret, ſed conformiter Edicto generali reſtitutionis, cæteriſque Maieſtatis decretis & reſcriptis, cœnobia ſuis quæque Ordinibus, quibus fundata ſunt, & non alijs reſtituerentur, concludunt, &c.* Ad hoc reſpondi cit. loco; *In Edicto Cæſareo nuſpiam reperitur. Monaſteria ijs ipſis Ordinibus, pro quibus fundata ſunt, reſtituẽda eſſe.* Et addidi: *Sed neque in alijs ante mẽſem Octob. Anni præced. 1629.* (quo videl. tempore epiſtola ad Oratorem Cæſareum miſſa eſt) *tale quippiã oſtendi poteſt*; Suppleri autem debet, quale in ſua propoſitione attulit libelli illius Auctor: *Ne qua in antiquis fundationibus mutatio fiat: Cœnobia ſuis quæque Ordinibus, pro quibus fundata ſunt, & non alijs reſtituantur.* Tale quid, inquiebam ibi, eoque ſenſu, quo refertur, quaſi ſi alia applicatio aut translatio fiat, ſacris fundationibus contrarium id foret, ante eũ menſem Octobrem, ex Cæſaris Curiâ non emanaſſe. Addo verò hîc, ſi ponamus, tale quid emanaſſe, (quia in ijs quæ facti ſunt, ignorantia facilè accidit, c. 1. de Conſtit. in 6.) neceſſariò confitendum, obreptitium fuiſſe, atque contra Cæſaris mentem, voluntatem, ac praxim, à Concipiente intruſum, ſicuti de epiſtolis ad Oratorem & Epiſcopos dictum fuit.

Non abſimile priori falſationis ſpecimen legi poteſt fol. 189. aſtri inextincti: *Affirmat Opponens* Iuſtæ defenſ. Procem. 30. 31. *in epiſtolas ad Excellentiſſimum & Illuſtriſſimum Oratorẽ Cæſareum, & quoſdã Dominos Epiſcopos datas, irrepſiſſe, ne Monaſteria Epiſcoporum menſis vniantur, aut in Commendam dentur. Nam coram Deo vix ac difficulter excuſari poſſet, ſi in iure diuino ſtabilita diſpoſitiones, contra fundatorum voluntatem immutarentur, ſcandala quoque & incõuenientia certò euentura eſſent, ſi eiuſmodi incorporationes, penſiones, commendæ impetrarentur, adeoq; ab eis prorſus abſtinendum eſſe. Hæc, inquit, quæ & in literis ad Dominos Epiſcopos datis, præter & contra Cæſar. Maieſtatis ſcientiam ac voluntatem inſerta, cùm veritati, Sacris Canonibus, Eccleſiaſticæ immunitati repugnent, neceſſe eſt refellere.* 185.

Hæc omnia verba, tanquam formalia & expreſſa eſſent in Iuſtæ defenſ. Procemio, diuerſo ab alijs typo ſcripſit Aſtrologus, præter copulam cauſalem *Nam*, quam ipſe ideò adiecit, vt prætermiſsis verbis meis intermedijs, quibus fraus eius pateſceret, & veritas appareret, coniunctio verborum nihilominus permaneret.

Locus integer cit. nu. 30. 31. eſt iſte: *In rationibus id ſpecificè improbatur, ſi Monaſteria Epiſcoporum menſis vniantur, aut in commendam dentur: Quæ ipſa improbatio & prohibitio poſtea in epiſtolas ad Excellentiſſimum & Illuſtriſſimum Oratorem Cæſareum, & quoſdam Dominos Epiſcopos datas irrepſit: Si in rationibus aut mandatis inhibitum tantùm fuiſſet, ne vniones, penſiones, aut commendæ in his, ab-*

Acatholicis recuperandis, Monasterijs peterentur aut impetrarentur, absque Cæsaris scientia & consensu, propterea quòd sua Cæsareæ Maiestati in isto casu conueniret attendere, ac prospicere, vt suis curis, laboribus, sumptibus maximis recuperata bona Ecclesiastica non superuacaneè, sed pro Ecclesiarũ vtilitatibus, prout maior Dei gloria postulat, applicarentur, nullam eæ rationes censuram meruissent, prout infrà dicam in refutat. c. 4. mem. 21. fol. 260. Sed quòd coram Deo vix ac difficulter excusari posit &c. sicuti supra relatum.

Elucet iam fraus & impostura Astrologi. Inprimis verba mea, quibus obreptionem argui, non affert integrè, sed corruptè, atque ex sensu composito efficit diuisum (qui decipiendi modus ipsi, vt postea dicam loco 5. familiarissimus est) quasi ego absolutè dicere voluerim, prohibitionem eam, ne Romæ Monasteria Episcoporum mensis vniantur &c. in mandata Cæsarea, præter aut contra Cæsaris scientiam ac voluntatem, irrepsisse. Quod tamen ego non dixi, neque talem prohibitionem, si absolutè & præcisè facta fuisset, reprehendi, sed expressis verbis ab omni reprehensione liberaui, Si in rationibus, aut mandatis inhibitum TANTVM fuisset &c. Quid igitur reprehendi, tanquam contra Cæsaris mandatum, ab aliquo male intrusum? Quod non TANTVM, aut simpliciter inhibitum fuerit, sed etiam improbatum, si tales incorporationes per Sedis Apostolicæ auctoritatem fierent, ex ratione nimis multum se extendente, Apostolicam auctoritatem imminuente, ipsius quoque Cæs. Maiestatis consuetudini aduersante, *Quòd coram Deo vix ac difficulter excusari posit &c. Videri possunt quæ dicam infr. p. 2. cês 46.*

Adijciam alia eiusce fraudis specimina ex fol. 153. paulò ante finem, vbi eodem cohęrente contextu, tanquam aliena verba, videl. Oppositoris sui (Laymanni) sint, peculiari charactere, ista afferuntur: *Cùm à paucis retro annis, numerus Religiosorum Societatis in Germania, per Dei gratiam multùm auctus sit, & indies augeatur, consequens est, vt prouentus quoque pro sustentatione necessarij augeantur: Qui cum aliunde hoc rerum ac temporum statu haberi non possint, Cæsarem in conscientia sub graui obligatione teneri, vt ex recuperatis bonis Ecclesiasticis & Monasterijs tam virorum, quam fœminarum, Academias, Scholas, & Collegia quàm plurima Societatis, in quibusuis Germaniæ partibus instituat, fundet, ac dotet.* III. n. 25.

Profectò discursus iste talis est, vt Lectorem quemlibet ad indignationem aduersus Patres Societatis armare possit, quòd adeò Monasteriorum, & quidem quàm plurimorum appetentes sint, vt ex futili quadam ratione, Sacram Cæs. Maiestatem ad ea ipsis tradenda graui conscientiæ obligatione astrictam dicere audeant. Verùm, si textus illi, ex quibus verba allegata desumpsit, & more suo fraudulenter copulauit Astrologus, inspiciantur, indignatio omnis atque reprehensio in ipsum fraudis architectum recidet. Siquidem pars prior eius ratiocinationis ab ipso conficta, sumpta est ex Iusta defensione p. 131.

pars

pars autem posterior *Qui cum aliunde &c.* ex Theologi secularis Iudicio, allegato Iustæ defens. pag. 29. Quanta itaque hæc peruersitas est, quæ à diuersis personis, diuerso tempore, ac proposito scripta sunt, in eandem cohærentem sententiam, adiectis malitiosè particulis causalibus, *Qui cum aliunde &c.* eodem contextu, ad calumniam inferendam copulare?

Neque contentus eâ fraude fuit Aduersarius; sed immediatè post verba illa, eod. fol. 153. subiecit: *Hac quippe cum conditione Patres Societatis Iesu desiderant bona Monasteriorum* (*ait iterum Opponens*) *non propter se, sed vt sint in sustentationem plurium, ad fidei Catholicæ propagationem incumbentium sed non Monachorum &c. Nam si Rom. Pontificis atque Cæsaris consilium, vti sperare licet, de bonis quibusdã Ecclesiasticis ad Seminaria Clericorum, Scholas & Gymnasia applicandis, successum habiturum sit, dubitari non potest, Patrum Societatis operam adhibitum iri: quia institutum Societatis ad hoc peculiariter tendit, vt Collegia instituantur &c. Non enim satis prospectum erit Ecclesiis, nisi adsint præter Monachos alij, qui ex instituto suo & propria vocatione fidem Catholicam propagent, & augeant. Scio equidem Monachorum institutum non repugnare, & claustri leges ac chori assiduitatem per publica Ecclesiæ, aut etiam domestica Conuentui præstita officia, abundè compensari, & in melius commutari; attamen plerisq;, adeoq; communiter loquendo, Monachis vtilius esse, non tantùm singulis, sed etiam toti Congregationi, si in claustris permaneant.*

Hæc omnia verba vno contextu attulit Astrologus: & quidem mutato charactere, ijs solis exceptis, *sed non Monachorum*, quæ tamen & per adiectionem signi *&c.* significare voluit, etiam ex Iusta defens. descripta esse.

Quis autem non indignetur, si tam absonè, pro Societate arroganter, contra Monachos inuidiosè scripsisse legat Paul. Laymann? Sin autem aperto Iustæ defens. libro, verba eius omnia inspiciantur, longè alia facies apparebit, atque imposturæ astrologicæ apparebunt. Primò deprauatur sententia, sumpta ex pag. Iustæ defens. 392. Obiecerat ibi Columniator, manuscripti libelli Auctor; *Non agrè ferant PP. Societatis Iesu, sese à Capuccinis, Discalceatis, atque à plerisque Ordinibus in hoc superari, quod aliena beneficia, & bona Ecclesiastica non appetant, & appetentes execrentur.* Ad hæc ita respondeo: *Dico, Patres Societatis aliena bona non appetere, cùm bona & Monasteria, de quibus sermo, vacantia sint, & in nullius hominis iure, atque dominio. Sed neque ea* (vacantia bona) *ipsi appetunt, nisi summorum Capitum nutu & auctoritate ipsis offerantur: hac cum conditione Patres Societatis desiderant bona Monasteriorum non propter se, sed vt sint in sustentationem plurium ad Fidei Catholicæ propagationem in Germania incumbentium.* Totus iste contextus, vti arbitror, reprehensionem nullam meretur. Cur enim Patribus Societatis vitio vertatur, si vacantium Monasteriorũ bona, summorum Capitum nutu & auctoritate, ipsis offerantur, quod ea acceptent, desiderentque ad Fidei Catholicæ in Germania propagatio-

nem? Eandem hanc imposturam reperire est in act. perduell. fol. 26.

Secundò apparet fallacia, & quidem insignis in adiectione particularum causalium, *Nam, si Rom. Pontificis*; Et iterũ, *Quia institutũ Societatis*; Præterea, *Scio enim Monachorum, &c.* Sunt enim illa ex diuersissimis capitibus, & membris iustæ defens. accepta, videl. pag. 80. 82. & 502. quæ vtique nec inter se, nec cum verbis dictæ pag. 392 connexionẽ aliquam habuerunt; & tamen falsarius iste ausus est in vnum contextum omnia constituere, adiectis voculis, *Nam, Quia, enim.*

Tertiò, si textus pag. 225. & 502. integrè legantur, videbit Lector, nullam Aduersario causam fuisse iustæ defens. Auctorem, vt postea dicam, tanquam mutuæ charitatis osorem perstringendi. Ita locutus sum eâ pag. 225. *Si Auctor libelli dicat, etiam inter Monachos reperiri posse viros spiritu Apostolico præditos, qui in animarum salutem impigrè incumbunt, magnumq; in Ecclesia fructum afferunt. Id non nego; aio tamen, cùm institutum eorum ad hoc non tendat, & ob id eorum Monasteria plerumque extra vrbes posita sint (prout Gl. annotauit in c. luminoso 6. causa 18. q. 2.) non satis prospectum fore Ecclesijs, nisi adsint alij, qui ex instituto suo & propria vocatione, ab ipsa Sede Apostolica ad hoc deputati sunt, vt in omnibus prouincijs Fidem Catholicam propagent, & augeant, hæreses & errores, prauosq; Fidelium mores corrigant.* Pag. verò 502. hæc disserui: *Fateor, propter necessitatem Ecclesiarum, rectè & laudabiliter etiam Monachos quandoque ex Monasterijs euocatos fuisse, & hodie quoque euocari, atque ad proximorum procurandam salutem, gentiumq; conuersionem ab Ecclesiarum Prælatis destinari: Scio enim Monachorum institutum non repugnare, & claustri leges ac chori assiduitatem per publica Ecclesiæ, aut etiam domestica Conuentui præstita officia abundè compensari, & in melius commutari; attamen plerisque, adeoq; communiter loquendo, Monachis vtilius esse non tantùm singulis, sed etiam toti Congregationi, si in claustris maneant, quam si extra claustra, ideoq; absque obedientia Prælati diu versentur. Hæc est traditio Patrum; hæc est veritas, quam dicere cuilibet, tametsi fortè horum scriptorum odium pariat.*

Quæ hoc in loco scripsi, vti præsagiebat animus, etiam Astrologi huius aduersùs me maleuolentiam excitârunt: Sed cùm aliter me oppugnare nõ posset, ex falsandi promptuario sibi consueta subsidia sumpsit, atque his denique criminationum telis opponentem suum Laymannum adortus est: *Quibus verbis & sententijs an charitatem inter religiosos Ordines promoueat, an Catholicæ Religionis propagandæ officium antiquis Ordinibus commune esse desideret, an aliorum Ordinum Religiosos otiosos esse, vel in laboris Societatem cupiat, nécne; cuiusuis prudentis erit examinare:* 166.

Ita est: Examinabit rem prudens Lector, iudiciumque feret de Aduersario quod iustum est, atque in Procœm. à me insinuatum, neminem facilè mortalium, etiam inter hæreticos, repertum esse, qui fallendi, ac falsandi artem tam benè calleat, atque

que

que iste Astrologus. Incredibilis enim, & ante hac inaudita peruersitas hæc est, si ex diuersissimis Scripturæ alicuius locis, aut capitibus verba deprompta, arbitratu alicuius impostoris, in cohærentem constructionem nectantur, falsitatis astruendæ, aut criminationis inferendæ gratiâ: Etenim nihil tam falsum, aut tam absurdum fingi potest, quod nō ex cuiuslibet libro tali artificio cōcludi queat.

LOCVS IV.

QVartus fallendi modus admodum perniciosus est, quòd ex Iustæ defensionis assertis, plerumque etiam perperam propositis aut falsatis, Astrologus corollaria inferre solet, penitus falsa, aut expressis verbis reiecta & negata: Quæ tamen ipse subinde tanquam disertas meas doctrinas Lectori proponere, & sæpiùs inculcare audet. Exemplum huius rei reperiet Lector p. 2. censf. 1. Aliud autem insigne extat fol. 176. n. 7. *Dicit* 266.
Oppositor (Iustæ defens. pag. 186.) *Quod Rom. Pontifex Concordatis Germaniæ circa beneficia ordinariè derogare non possit (eò quod etiam Princeps pacta & promissiones seruare debeat) licet secùs sit, si extraordinaria ad bonum publicum Ecclesiæ necessitas postulet. Fatetur autem alibi* (pag. 346. 365.) *per eiusmodi translationem auferri quidpiam à iurisdictione Episcopali, confirmata per Concordata Germaniæ; quamuis addat, volentibus non fieri iniuriam. Quando proinde alijs in locis asserit, cum binis nuncupatis Theologis, quos tuetur, Summum Pontificem & Cæsarem sub graui obligatione & conscientia teneri, vt ex bonis Monasteriorum restituendorum erigantur Academiæ, Seminaria, & quàm plurima Patrum Societatis Collegia, &c. quid aliud, obsecro, dicere intendit, quam Summum Pontificem, &c. in conscientia sub graui reatu obligari ad extinguenda multa Monasteria Ordinum antiquorum, ad derogandum iuri communi, iurisdictioni Ordinariorum, Concordatis Nationis Germaniæ; adeoq; etiam iuri naturali ac gentium, quod inter transigentes huiusmodi intercedebat; neque Fidem Catholicam feliciter propagatum iri, si Concordata & iura naturalia, Canonesq; seruentur; si denique Monasteria, cuiuscunque fuerint sexus aut Ordinis, non deleantur, supprimantur, & opprimantur.*

Aduertat Lector, vim ratiocinationis, quam Lectori obtrudere vult, si aliquid concludere debeat, hanc esse oportere: Fatetur Laymann, Ro. Pontificem ordinariè non posse derogare Germaniæ Concordatis; quia alioquin ius naturale, ac gentium violaretur. Fatetur quoque per Monasteriorum istorum translationem (Astrologus perperam vocat *suppressionem & extinctionem*) Cōcordatis Germaniæ derogari: Ergò, cùm à Papa vel Cæsare talem translationem faciendā esse existimat, nihil aliud sentit, nisi quod Pontifex & Imperator Concordata Germaniæ, adeoq; Ius naturale & gentium violare debeāt.

Grauis hæc est accusatio, in qua si succubuerit Aduersarius, & de falsatione apertè conuictus fuerit, vtique ne in alijs quidē rebus fidem merebitur. Respondeo itaque, propositionē

illam à me traditam esse in allegata pag. 186. At verò subsumptionem à me alienissimam esse, & per insignem fallaciam, ab Astrologo confictam. Inspiciatur pag. illa 364. 365. nihil aliud reperiet Lector, quàm Episcoporum iurisdictioni per eiusmodi translationes Monasteriorum exemptorum parum auferri: Deinde, tametsi auferretur aliquid, Auctorem tamen libelli famosi immeritò quæstum fuisse *de iniuriâ Statibus, puta Episcopis, &c. inferendâ: Cùm Reuerendiss. & Illustrissimi Domini Episcopi nō repugnent, sed vltrò consentiant, imò talem translationem fieri, ob publicum Germaniæ, & Religionis Catholicæ bonum, exoptent.* Notum autem esse, quod volenti iniuria non fiat. Dixerat enim Auctor ille, quem refutabam: *Etiam hinc Episcopi pro suo iure tuendo sumere debent argumentum contra Patres Societatis, & Imperator Augustus obligatur ex omni parte prospicere, ne iuribus Episcoporum & Monasteriorum, vel Religiosorum Ordinum, quidquam detrahatur; neque cum aliorum Statuum iniuria, alij in messem alienam intromittantur*, pag. 361. Iustæ defensionis.

At verò translatione ea Monasteriorum Concordatis Germaniæ derogari, in quo puncto totius accusationis cardo versari debet, nullo penitùs verbo, seu ibi, seu in toto reliquo libro, significatum fuit, sed contrarium pag. 362. Itaque totum fundamentum, quo accusatio ea nititur, videl. falsum me esse, per Monasteriorum eorum translationem *auferri quidpiam à iurisdictione Episcopali, confirmata per Concordata Germaniæ*, manifeste falsum, & fictitium est.

Taceo hic alia, quæ hoc loco immiscuit, mendacia; Vt, quòd vterque Theologus docuerit, ego quoque asseruerim, Cęsarem graui obligatione teneri, vt ex restituendorum Monasteriorum bonis *quamplurima Patrum Societatis Collegia* erigantur. Verùm id non vterque, sed alter Theologorum dixit, qui è Societate non est; ego verò declaraui, cur id dixerit, & quâ ratione eius dictum à falsitate, & calumniâ defendi debeat, pag. 108. Iustæ defensionis.

Eâdem hic occasione, examinare atque refellere placet, quæ fallaciter proponuntur tam in act. perduell. fol. 30. quàm in astro inextincto fol. 181. 173. . . r°
182. 183. vbi ita legitur: *In Edicto Cæsarea Maiestatis, inquit* (Laymann, pag. 28. Iustæ defens.) *nusquam reperitur, Monasteria illū ipsis Ordinibus, pro quibus fundata sunt, restituenda esse. Qua in re se ipsum è diametro S. C. Maiestati opponit, quæ in literis ad Oratorem superiùs iam adscriptis aiebat; Quandoquidem nostrum nuper publicatum Edictum, restitutionem ipsis Ordinibus faciendam expreßè statuit.* Ecce, cùm in Edicto, in quo negaui illud reperiri, ostendere non possit, producit Cæsar. Maiestatis literas ad Oratorem; quas tamen vitiatas & obreptitias esse, non semel in Iusta defens. clarè edixi, & ostendi: Quo iure itaque obijcere mihi potest, quòd Sacr. Cæsar. Maiestati me opponam?

Vlterius fol. 182. n. 3. perinde ac si 176.
ex Edicto & rescriptis causam obtinuisset, ita loquitur: *Itaque stantibus verbis*

verbis clariſſimis Edicti & Reſcriptorum, aliâ via rem aggreditur Opponens. Quænam ſunt illa verba clariſſima Edicti, ex quibus colligi poſſit, Monaſteria hæc ab hæreticis recuperata, Ordinibus neceſſariò reſtituenda eſſe? Nulla penitus afferri poſſunt. Quod verò attinet ad reſcripta, iam ſuperiùs indicaui loco 3. diſtinguendum eſſe; num in reſcripto Cæſareo contineatur id ſolùm, nolle Suam Maieſtatem, vt in Curia Romana Monaſterij alicuius translatio, &c. concedatur, aut impetretur; videl. præproperè, & ſine Cæſaris ſcientia ac conſenſu; An verò abſolutè ſignificetur, translationes eiuſmodi fieri non poſſe, ſiue ſecundũ ius naturale, & Conſcientiæ Cæſaris obligationem, Germaniæ Concordata, aut Edictum, neceſſarium eſſe, vt ſua quæque Monaſteria eiuſdem Ordinis Religioſis reſtituantur. Prioris generis reſcripta, nequaquam reieci; at verò poſteriora (quæ tamen ante menſem Octobrem Anni 1629. nulla prodijſſe arbitror) obreptitia & falſata dixi, & adhuc dico.

Audiamus iam, quænam ſit ea via, quam porrò me ingreſſum, ex eaque tanquam qui Cæſareæ Maieſtati me opponam, detrudendum me exiſtimat Aduerſarius. *Quod attinet ad Patres Societatis, inquit* (Laymann pag. 371. Iuſtæ defenſ.) *ipſi fatentur, ſe iuxta fundationem habiles atque qualificatos non eſſe ad ea extincta Monaſteria, priuſquam canonicam ſuper ijs inſtitutionem, vnionemq; accipiant. Sin autem Rom. Apoſtolica Sedes Societati ſeu vnum; ſeu plura Monaſteria aßignauerit, tum Patres Societatis (ſi Cæſaris etiam acceſſerit, voluntas) iuxta fundationem legitimè vocatos, & qualificatos fore indubitatè affirmo, & oppoſitum ſine errore non poſſe dici, pronuncio.*

Et ſtatim ſubijcit Aſtrologus: *Cauſam his aſſertis præbuit Edictum Imperatorium, clarè pronuncians, reſtituendis Monaſterijs prouidendum de vtilibus, iuxta fundationem legitimè vocatis, & qualificatis perſonis. Idque,* vt mox adiungit, *intelligendum eſt de omnibus fundationibus ſeu Monaſterijs, nullo excepto.* Ita omninò eſt, & à nemine negatur. Sed quo modo inde oſtendere conatur, S. C. Maieſtatem, eiuſque Edictum non iuſtè me defendiſſe? Sex futilibus rationibus fol. 183. quas non tam refutare, quàm recenſere neceſſe eſt.

I. Ratio, *Ipſe Imperator disertè in diuerſis reſcriptis verba Edicti explanat, Monaſteria ijs ipſis Ordinibus, pro quibus fundata, reſtituenda eſſe.* Videmus, quòd iterum ex reſcriptis ſubſidia, quærit; cùm Edicti verba non ſufficiant. Cur itaque & hoc ipſo fol. & aliàs ſæpè, in act. perduell. quoque fol. 39. Iuſtæ defenſ. Auctorem accuſat, tanquam opponentem ſe Cæſareo reſtitutionis Edicto?

II. *Cæſar, eiuſq; decretum pronunciat, Monaſteria eſſe reddenda perſonis iuxta fundationem qualificatis, non qualificandis.* Reſp. in Edicto Cæſaris ita legi, ſicuti antea ipſemet allegârat, Monaſterijs prouidendum eſſe de perſonis iuxta fundationem qualificatis, &c. Tales autem etiam ſunt PP. Societatis; ſi ijs per Sedis Apoſtolicæ Auctoritatem,

E 3

ctoritatem, cum Cæsaris assensu, Monasteria assignentur. Etenim talem assignationem fundationi repugnare frustra assumit Astrologus.

III. *Ex Opponentis argumenti paritate sequitur, omnes omninò fideles cuiuscunque Monasterij, Collegij, vel Ordinis esse vtiles, legitimè vocatos, & qualificatos, supposito nimirum consensu dictorum Principum.* Ita omninò est; dummodo eo tempore, quo ipsis Monasteria, eorumque bona Ecclesiastica attribuuntur, capaces eorum sint; ita, vt Sacris Canonibus non repugnet translationem fieri.

IV. *Etiamsi Sedes Apostolica Monasterium aliquod hominibus eiusmodi assignaret, tamen inde non sequeretur, quòd essent vtiles & qualificati iuxta fundationem, sed iuxta fundationis mutationem, sed translationem* (suspicor legendum seu) *& sic non ex mente Cæsarei Edicti.* Resp. Si vacantia ista Monasteria, eorumque bona per Summorum Capitum auctoritatem applicentur, aut transferantur ad pium aliquem vsum, quatenus id necessitas Ecclesiarum Germaniæ postulare videtur, non immutatur fundatio, siue nihil contra fundationem agitur, prout in Iusta defens. q 2. præamb. ostensum, & alibi passim. Porrò Cæsar. Maiestas verbis ijs Edicti hoc potissimùm significare voluit; Monasteria ea à detentoribus laicis, atque hæreticis, adeoque incapacibus eorum, auferenda esse, vt per personas iuxta fundationem vtiles, habiles, & legitimè vocatas ordinentur.

V. *Mens est Imperatoris, vt Monasteria restituantur ijs qualificatis personis, quæ possunt ea recipere saluis iuribus Ordinariorum: Atqui si Monasteria non exempta vel exempta mediata dentur Societati ad Collegia, Scholas, &c. non manebunt salua Ordinariorum iura.* Resp. De hac re in Edicto Cæsareo nullam penitus fieri mentionem. Num verò per eiusmodi translationem iuribus Ordinariorum derogetur, dictum est paulò ante, ex pag. 364. 365. Iustæ defensionis.

VI. *Generale restitutionis Edictum præcipit, Monasteria quæque suis Ordinibus restitui, vt ostensum in Rescriptis: At si ea applicentur aliò, quàm pro antiquis Ordinibus, non restituentur, sed donabuntur: Idq; contra mentem S. C. Maiestatis, & Edicti.* Resp Sicuti suprà ad Primum; In Edicto nihil tale contineri: Rescripta autem, in quibus asseritur in Edicto tale quid definitum fuisse, obreptitia sunt. Præterea, pro absurdo habere non debet Astrologus, si Monasteria ab hæreticis recuperanda, per Summorum Capitum auctoritatem, eiusdem Ordinis Religiosis donentur, non restituantur; cùm id ipsũ Romanę Curię Officiales censuerint de Ordinibus illis antiquis, quòd, si ijs Monasteria applicata fuerint, *non restituentur, sed donabuntur*, in epist. Oratoris ad Cæsarem, quã ipsemet Aduersarius agnoscit & allegat fol. 7. Act. perduel. *& fol. 187. Astri inextincti.*

Fol. 183. n. 5. ita scribit Astrologus: *Augustißimus Imperator in Edicto restitutionis* §. Auß welchem bißhero / *commendat suorum Antecessorum iustitiam in restituendis cuique Ordini Monasterijs admini-* 177.

ministratam; quin ipsemet antiquis Ordinibus per mandata Cæsarea multa iam assignauit. Opponens verò asserit, id non de iure, sed secundùm æquitatem duntaxat factum fuisse, quo dicto grauiter perstringit omnes Imperatores 1. *Quod ad agendum iudicialiter admiserint Ordines, qui ius agendi nullum (vt opinatur) habuerunt.* 2. *Quia in Cæsarum potestate non est, dare Monasteria extincta, cui voluerint.* 3. *Quia inuaserint iura Prælatorum Ecclesiæ, penes quos erat dispositio: Cùm ad Pontificem (vt inquit) non ad Cæsarem pertineat Ecclesias disponere.* 4. *Quod Sacra Cæs. Maiest. adducto §. malè commendet suos Antecessores de administratâ iustitiâ; cùm non secundùm iustitiam, sed secundùm quandam æquitatem, conniuente Rom. Pontifice, processerint.*

Quis hæc legendo non indignetur contra Iustæ defensionis Auctorem, censeatque cum Astrologo, fol.
218. 199. Astri inext. n. 53. librum illum ex Rom. Imperio procul arcendum, ac proscribendum esse? Verùm si detectis fraudibus, res ipsa inspiciatur, omnis penitus materia reprehensionis sublata erit. Ex duobus locis Astrologus verba paucula allegat, cùm integrè afferre non audeat, ne impostura eius deprehendatur. Primus est pag. 52. Iustæ defensionis, vbi aliud dictum non est, nisi ex hypothesi, si fateremur (quod verum non est, & frequentissimè negatum) per translationem vacantium Monasteriorum, ac bonorum ad Seminaria, Scholas, &c. ius aliquod auferri, quòd id *non Imperatoria potestate fieret, vrgente Rom. Pontifice*, sicut ineptè locutus fuerat libelli illius famosi Auctor: *Cùm ad Pontificem, non ad Cæsarem pertineat Ecclesias transferre, vnire, diuidere.* Videri potest infrà p. 2. cens. 1.

Alter Locus est pag. 320. 321. *Augustissimus Cæsar Ferdinandus II. in Edicto suo, allegato §.* Auß welchem bißhero/ *non decreuit, Monasteria suis quæque Ordinibus restituenda esse; sed ait, rectè factum, quando præcedente tempore Ordinum Generalibus, Prælatis, alijsq; Ecclesiasticis Officium Cæsaris implorantibus, occupatorum Monasteriorum, &c. restitutio Acatholicis imperata, & interdum executioni mandata fuit. Qua in re supponitur, Prælatos, aliosq; Ecclesiasticos, ius suum in Monasterijs, alijsq; Ecclesijs, tanquam indubitatum, Cæsareo tribunali exhibuisse; Aut, si Monasteria de iure vacârunt, & extincta fuerunt, interdum secundùm æquitatem, cùm alia dispositio à Rom. Pontifice non proponeretur, ad ordinandum data fuisse.*

Superest iam, vt numeremus fraudes & mendacia Astrologi. I. Insinuare vult Lectori in Edicto Cæsareo quippiam contineri, aut definiri, de Monasterijs suis quibusque Ordinibus restituendis: quod tamen eo ipso in loco, quem ex Iusta defens. allegat, negatum fuit.

II. Falsum est, in Iusta defens. significari, id non de iure factum esse, quod Antecessores Imperatores, ipseque Augustissimus Ferdinandus II. antiquorum Ordinum Religiosis Monasteria restituerint. Nam præterquam, quòd Religiosi illi sæpenumero ius, actionemque propriè dictam habuerint, (vt, quia ex Monasterijs

steriis expulsi aut spoliari ipsimet fuerant, vel Collegia, seu Sacra loca, quæ repetebant, proprijs Monasterijs vnita erant) etiam id aduerti debet; Non ideo quia Religiosi, v.g. Ordinis Cisterciensium, aut Præmōstratensium, ad Monasteria, quæ per mortem omnium Professorum extincta sunt, nullum propriè Ius actionemque prætendere possunt, sed solùm petere, vt secundùm ęquitatem, permittente atque rationabiliter cōsentiente Rom. Pontifice, restitutio ipsis fiat; non ideò, inquam, consequens, sed neq; verum est, quod Imperator in hoc ipso casu pro Ordinibus officium eius implorātibus, sententiam aduersus iniquos Monasteriorum detentores ferendo, non *secundùm iustitiam, sed quandam duntaxat æquitatem, conniuente Pontifice, processerit*: Cùm clarissimè non vno in loco Iustæ defensionis dictum sit, Cæsar. Maiestatem, in horum Monasteriorum mandatâ restitutione, non tantum meri iudicis officio, partibus ius actionemque propriè dictam instituentibus inseruiente, fungi posse, sed etiam nobilissimo ac libero officio suo, tametsi nemo quidquam petat; multò verò magis, si adsint, qui secundùm æquitatem implorato nobilissimo Cæsareo officio ac potestate, Monasteria Ordinis eius Religiosis, pro quo olim fundata erant, attribui postulent. Videri potest pag. 153. & pag. 314. Iustæ defensionis.

Multò magis falsum, me alicubi Imperatores perstrinxisse, *quòd Ordines ad agendum iudicialiter admiserint*; Imò etiam, *quòd inuaserint iura Prælatorum Ecclesiæ, penes quos erat dispositio.* Perniciosa hæc & calumnijs plena mendacia sunt, quæ etiam in act. perduell. reperientur fol. 10. & 11. proponuntur. Videri possunt quæ infrà dicentur p. 2. cens. 1.

Fol. 187. in fine hæc adfert Aduersarius: *Per ea, quæ ab Authoribus disceptationis, & susceptæ defensionis adferuntur, ac propugnantur, inquit Oppositor*(Layman. n. 87. Procem.) *Sacros Canones, atq; potestatem Ecclesiasticam non parum labefactari. Quod si ita est (tametsi ne vnum Canonem producat, quem violatum esse docuerit) consequens erit, vt Sacratissimus Imperator, Monasteria per Edictum & Rescripta Cæsarea solis Ordinibus adiudicandos primus & præcipuus asseratur esse violator Sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ immunitatis; cùm ad Pontificem, non ad Cæsarem, ait fol. 52. pertineat Ecclesias transferre, vnire, diuidere, &c.* Meræ fraudes atque Calumniæ. Si enim textus, & verba Iustæ defens. inspiciantur, nihil prorsus vel in speciem reperitur, vnde talis criminatio desumi possit. Etenim in Procem. n. 87. generalibus tantùm verbis dixi, *decere, vt pro Sacrorum Canonum defensione, atq; ecclesiastica potestate, quæ in libellis illis famosis non parū labefactata cernitur, me opponerē.* Quibus autē modis Sacri Canones & Ecclesiastica potestas à Libellorum Auctoribus labefactata fuerit; id passim significaui in toto libro, & collegi in Synopsi, prçsertim tit. 4. & 5. At verò per Edictū Cæsaris, aut per eiusdē rescripta (quæ obreptitia, aut falsata nō sunt) Sacros Canones, & ecclesiasticam

184 n. 17.

ſticam poteſtatem labefactati, ne vno quidem apice ſignificaui. Atque alter ille textus ex pag. 52. allegatus, quo Aſtrologus denuò calumniam hic ſuam colorare, Lectorique imponere vult, *Cum ad Pontificem, non ad Cæſarem*, &c. nihil penitus ad rem pertinet, ſicuti ſuperiùs oſtendi.

184. Fol. 188. nu. 19. Pergit Aduerſarius, expoſitis priùs impoſturis, Opponētem Laymannum vehementiùs incuſare. *Pijſſimum Cæſarem Ferdinand. II. ait nu. 27. Proœm. mandando reſtitutionem pro antiquis Ordinibus, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, eiuſdemq; iura imminuere, Eccleſiaſticas cauſas ad forum ſuum trahere, & Rom. Pontifici leges in ea re præſcribere, eccleſiaſticamq; immunitatem lædere videri, niſi ipſum calamo ſuo defendat, id eſt, niſi contra clariſſima Edicti, Reſcriptorumquè verba commentetur Opponens. At hoc non eſt defendere Cæſarem, quia ſpoliatum reſtituere, ius ſuum cuique reddere, implorantibus adminiſtrare iuſtitiam, Clientibus aduocatiam, fideicommiſſum reddere familiæ, Sacrorum Canonum obſeruantiam manu tenere, iuramento, concordatis Germaniæ, obligationi iuris diuini, naturalis, & gentium ſatisfacere, non eſt Sedis Apoſtolicæ authoritatem, eiuſdemque iura imminuere, non eſt eccleſiaſticas cauſas ad forum ſuum trahere (cũ etiam Iudex ſecularis poſſit officium ſuum impendere, vt legata pia mandentur executioni, Abb. c. nos quidem, de teſtam. n. 5.) non eſt Rom. Pontifici leges præſcribere, non demum eccleſiaſticam poteſtatem lædere: Niſi dicat Opponens; Sedis Apoſtolicæ authoritatem, eiuſque immunitates ac iura conſeruari aliter non poſſe, quàm per diuinorum, humanorumq; iurium neglectum & confuſionem.*

Criminatio hæc, quibuſdam verborum ac ſententiarum fallationibus nititur, quibus detectis, eius inanitas, atque Aſtrologi malitia, clarè apparebit. Peruertit enim verba & mentem meam in alleg. n. 27. Proœm. appoſitis ex fallaciarum promptuario ſuo his voculis, *mandando reſtitutionem pro antiquis Ordinibus*: Et iterũ, pijſsimum Cæſarem, *lædere videri*, quę poſteriora verba, tanquam formalia ſint Iuſtæ defenſionis, proprio charactere ſignauit: Vt nimirum Lectori perſuaderet, Cæſarem in Edicto, aut Reſcriptis, ex ſua voluntate editis, mandaſſe, Monaſteria ſuis quæq; Ordinibus reſtitui debere, eaque re, ex Opponentis Laymanni ſententiâ, Sedis Apoſtolicæ immunitatem læſiſſe videri, prout etiam in Act. perduellionis fol. 10. & 11. inculcatum fuit: Cùm tamen nihil penitus eorum vel in mentem, vel in calamum mihi venerit, vti clariſsimè videbit Lector ſi eum nu. 27. Proœm. quem infrà allegabo, p. 2. cenſ. 1. inſpexerit.

LOCVS V.

QVinta fallacia, in qua Aſtrologus noſter apprimè exercitatus, eſt ſenſus compoſiti pro diuiſo, aut vice verſâ, vſurpati. Quod enim in ſenſu diuiſo ſeu abſoluto à me in Iuſta defenſione dictum fuit, ille ad cōpoſitum refert: Quod autem in ſenſu compoſito ſiue hypothetico dictum, id ipſe ſenſu diuiſo, abſoluto, & categorico

gorico accipit. Nota est viris doctis fallacia ista & amphibologia. Exempli loco afferre solent Theologi Enunciationem hanc; *Quem Deus scit ob peccata sua damnatum iri, saluari potest*, veram esse in sensu diuiso, falsam in sensu composito. Philosophi quoq; aiunt, propositionem istam *Socrates sedens stare potest*, falsam esse in sensu composito. Iureconsulti alio exemplo rem declarare possunt: Si ita stipulatus fueris, *Stichum & Pamphilum dabis mihi?* egoque respondeam, *Dabo tibi Stichum*, quæritur num tibi obligatus sim? Dicendum, si stipulatio interrogantis seu petentis intelligatur in sensu composito, non sum obligatus dare Stichum: Quia non de eadem re, eodemque modo responsio & promissio facta, sicuti petitum, l. 1. §. si quis simpliciter, & l. vlt. ff. de verb. obligat. & §. Præterea Instit. de inutilibus stipulationibus. Sin autem intelligatur stipulatio in sensu diuiso, valida erit. Et iste quidem sensus preferri debet, l. inter stipulantem 83. §. Item si ego, ff. de verbor. obligat. & Instit. de Inutil. stipulat. §. Quoties, vbi & ratio assignatur: *Quia res singulas stipulari, & ad singulas respondere debemus.*

Multa huius fallaciæ exempla passim reperiuntur in actione perduellionis, & Astro inextincto, vt vel ex vnico hoc artificio magister iste fallaciarum agnosci possit. Aliqua tantùm hic referam. Sæpe ait Melander Astrologus, Iustæ defens. Auctorem negasse, quòd Cæsar voluerit, aut mandauerit, Romam scribi, & impediri, ne inibi Monasteria alijs, quàm Ordinibus, ad quorum Religiosos olim spectabant Monasteria, assignentur. Id verò in sensu diuiso, seu absolutè nusquam à me negatum fuit, sed tantùm in sensu composito dixi: Falsum esse, quòd Cæsar voluerit, aut mandàrit Romam scribi; Ne Monasteria alijs, quàm suis quæque Ordinibus assignarentur, quia id permittere Cæsaris conscientię repugnet, aut quia coram Deo vix, ac difficulter excusari possit.

Hac ipsa fraude tum aliàs vsus fuit Aduersarius, vt in act. perduell. fol. 8. & 9. tum verò maximè fol. 188. nu. 20. Astri inextincti: *Mandata Cæsaris ad Oratorem Romæ, iubentis Monasteria non nisi antiquis Ordinibus restitui, dicit Opponens à Iure prorsus aliena, & contraria esse ijs, quæ à Cæs. Maiestate sæpius scripta sunt. Ex quo sequitur, ipsum quoq; generale restitutionis Edictum, & conformia rescripta omnia, plerasque item epistolas ad Oratorem, & Cæsareos Commissarios à Iure communi aberrare. Vnde est, quòd iterum triumphum canant hæretici, quando audiunt ab Opponente suum Cæsarem pro iuris violatore proclamari.* 185.

Ad hoc dicitur; Astri inextincti Auctorem egregiè hic iterum artem suam fallendi, & criminandi ostendere. Primò enim falsat verba Iustæ defensionis, per omissionem vocum *insertas rationes* adeò, vt etiam constructionem mutare debuerit. Mea enim verba nu. 10. Procem. sunt ista: *Mandata & insertas rationes à iure alienas esse*: Astrologus autem refert absolutè, *Mandata Cæsaris à iure aliena esse*, & quidem

& quidem signato charactere, quasi nihil in verbis meis immutatum fuerit. Secundò falsissimum est, vnquam me fassum fuisse, mandata ea, siue epistolas, quas vnà cum Theologis, ob insertas rationes reprehendi, Cæsaris aut Cæsareas fuisse, cùm passim toto in libro Iustæ defensionis, mandata & epistolas obreptitias, rationes à quopiam, præter & contra Cæsaris mentem, intrusas fuisse dixerim. Videri possunt, quæ superiùs habentur loco 2. paulò post princip. Tertiò, accommodatio verborum, quam mihi affingit, alienissima est à mente mea: Nunquam enim epistolas eas siue mandata reprehendi, quà præcisè exprimebant: Ne Monasteria alijs, quàm suis quæque Ordinibus, Romę assignarentur, sed in sensu composito, quà id prohibebatur ob insertas rationes falsas, & ecclesiasticæ immunitati repugnãtes: Quia videl. talis Monasteriorum ad alios vsus applicatio conscientię, fundationi, Concordatis &c. repugnet. Quartò, quid de consecutionibus, quas ex falsata, & fraudibus stipata verborum relatione collegit Astrologus sentiendum sit, facilè iudicabit Lector.

Aliud huius fallaciæ perspicuum specimen reperietur in act. perduellionis fol. 34. & astri inextincti fol.
178.179 184. 185. quibus in locis maximopere laborat, vt Lectori persuadeatur, fassum me esse, Cæsarem ratione iuramenti, & supremi aduocatiæ officij, obligatum esse ad Monasteria suis quæque Ordinibus restituenda. Eiusq; rei causa, varijs artificijs vtitur.

Præcipuum verò est sensus compositi, pro diuiso: Quæ enim verba in Iusta defensione pag. 490. perspicuè dicta sunt in sensu diuiso: *Falsum est, & ecclesiasticæ consuetudini repugnans, si alicubi* (prout Auctor libelli famosi dixerat) *Ordo S. Benedicti aut S. Francisci institutus sit, Cæsarem iuramento obligatum esse ad eum defendendum, vt inuiolabiliter ibi permaneat, cùm plures causæ occurrere possint, cur mutatio & translatio per legitimam ecclesiasticam auctoritatem instituatur, prout sæpissimè factum esse constat, Cæsare, alijsque Principibus nequaquam se opponentibus, sed quandoq; etiam translationem procurantibus.* Verba, inquam ista, *Cæsarem* iuramento obligatum non esse, Aduersarius accepit in sensu composito, Cæsarem tametsi iurarit, tamen iuramento obligatum non esse, vt Ordini S. Benedicti Monasteria sua defendat, atque conseruet, prout videre licet in act. perduell. fol. 30. 31. 34. At verò in 178
astro inextincto, fol. 184. nu. 7. eisdem verbis eandem fallaciam cudit Auctor, sed modo diuerso, videl. pro sensu composito, accipiendo sensum diuisum seu absolutum: *Falsum est,* ait *Oppositor* cit. pag. 490. *& Ecclesiasticæ consuetudini repugnans, si alicubi Ordo S. Benedicti, aut S. Francisci institutus sit, Cæsarem iuramẽto obligatum esse ad eum defendendum, vt inuiolabiliter ibi permaneat. Atrox est hoc dictum, quodque omnibus hæreticis non immeritò iubilum, Religiosis autem lachrymas excutiat: An ergo lignorum tantùm, lapidum, & agrorum Aduocatiam gerit Imperator? An non iuramento se obstrinxit omnium*

Eccleſiarum iura ſe defenſurum? Quid autem aliud ſunt Eccleſiarum iura, quam epiſcopatus abbatiæ, canoniæ, prabendæ, beneficia, tituli, & horum conſentanea? Si hæc iura Imperator, vt Aduocatus generalis, defendere non tenetur, quænam denique iura defenſurus eſt? Hoc fraudis artificio ſignificare vult, abſolutè me inficiari, quòd Cæſar, tanquam Eccleſiarum omnium Aduocatus, ad iura Monaſteriorum defendenda obligetur: Sin autem verborũ contextus, quem paulò ante poſui, integrè legatur, clariſsimè apparebit, quid ſenſerim ac dixerim, videl. ex praxi ac traditione Eccleſiæ notum eſſe, quòd variæ cauſæ canonicæ occurrere poſſint, ob quas rectè ac licitè mutatio ſeu translatio, per eccleſiaſticorum Prælatorum auctoritatem, fieri queat, vt in Monaſterio, in quo habitarunt vnius Ordinis Religioſi, ijs recedentibus aut remotis, inſtituantur alij Religioſi, ac proinde verum nõ eſſe, quod Auctor diſceptationis, quem refutaram, ſignificauit, Cæſarem iuramento obligari, ad Ordinem S. Benedicti ver. gr. ita defendendum, vt Monaſteria omnia inuiolabiliter retineat.

Veruntamen, quia aduertit Aſtrologus, hanc ipſam impoſturam non ſatis congruere cum ijs, quæ in alijs locis, præcipuè in act. perduellionis fol. 31. & ſeqq. falsò inſinuata fuerunt, videl. à me & Auctore epiſtolæ ad Maieſtatem Cæſaream non negari, quòd Cæſar ex officio ſuo, atque vi iuramenti, debeat Monaſteria hæc Ordinibus ſuis reſtituere, attamen ab obligatione iſta, propter præſentem Eccleſiarum neceſsitatem excuſari, ideò varia fraudum artificia cõminiſcitur eod. fol. 184. 185. quibus 178.
me contrariè ſcripſiſſe oſtendere conatur: 179.
Ea autem, ne à propoſito hic longiùs abſcedam, referam p. 2. cenſ. 3. & ſeqq.

Tertium eiuſdem fallaciæ exemplum eſt. Dixeram in Iuſta defenſ. pag. 314. 316. 357. 358. Quòd Auguſtiſsimus Cæſar, vi dicti ſui generalis, in recuperatione Monaſteriorum non debeat procedere vt merus Iudex, partibus actionem inſtituentibus iuſtitiam adminiſtrãdo. Id verò explicatiſsimè, non vno duntaxat in loco, docui in ſenſu diuiſo, non eſſe neceſſarium, vt ſemper ita procedat, cùm etiam alius ſit procedendi modus, videl. ſecundùm liberum ſupremi Eccleſiarum Aduocati officium, tametſi nemo adſit qui actionem inſtituat, aut tanquam ſpoliatus reſtitutionem petat. Hinc verò Aſtrologus ſenſum compoſitum colligit, dixiſſe me, quòd Cæſar partibus iuſtitiam implorantibus, ſicuti ſecundùm iura conſtitutum eſt, iudicis officium impartiri non debeat, fol. Aſtri inextincti 185. nu. 10. & fol. 187. nu. 16. fol. 181. 183.
218. nu. 3. Agam de hac re pluribus in 249.
p. 2. cenſ. 33.

LOCVS VI.

EST modus quidem fallaciæ, quæ dici ſolet *captio accidentis*, eaque prudentes quoque interdum decipi, Dialectici admonent. Si nimirum,

quod

quod quibusdam accidit, ita accipiatur & proponatur, ac si vniuersim & omnibus, qui eiusdem generis sunt, competat. Exempli causa Grammaticum esse, pluribus hominibus, ijsq; solis conuenit: fallaciter tamen concludes, omni homini competere, siue hominem non esse, nisi Grammaticus sit.

Hoc genus fallaciæ potissimùm exercet Astrologus fol. 126. & 127. Sic enim loquitur eo fol. 126. nu. 65. *Dicunt* (in Iusta defens. q. 1. præamb.) *Monasteria Ordinis S. Benedicti & Canonicorum regularium S. Augustini non efficere vnum corpus, quia iura & bona inter se diuisa, & non communicabilia habent: At verò si hæc conditio necessaria est ad constituendum corpus, pleraque corpora non erunt corpora: nam & corpus mysticum Ecclesiæ vniuersalis, licet ratione vnitatu Fidei, cœremoniarum, ac rituum Catholicorum, vel propter vinculum Christianæ charitatis, sit specialiter adunatum, tamen Episcopatus, Regna, Prouincias, Monasteria, Religiones, Parochias, ciuitates &c. earumque iura & bona inter se diuisa, & non communicabilia habet: Simul ex aduerso intolerabile sibi onus imponit Opponens probandi, ad rationem corporis liciti, quale est Ecclesia Catholica, quale Collegium Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium vna cum Capite, quale deinde Corpus cuiuslibet Synodi prouincialis, vel diœcesanæ, quale Cathedralis vel Collegiata Ecclesia, Reipubl. vel ciuitatis, quale deinde pistorum, fabrorum, nauiculariorum ac similium, requiri, ne inter se bona diuisa, & incommunicabilia habeant.* Et paulò post. *Probet igitur Opponens, huiusmodi corporibus omnibus necessarium semper fuisse & esse suorum bonorum & iurium, quæ singuli poßident, indiuisionem & communicationem.*

Respondeo: Mihi hoc onus probandi nequaquam incumbere, cùm nusquam dixerim, generatim ad rationem corporis pertinere, vt eius membra inter se iura ac bona diuisa, ac separata non habeant. Id enim planè falsum, vti rectè ostendit Aduersarius, non tantùm si loquamur de corpore mystico, aut morali, quod est Collegium, seu Congregatio: sed etiam, si loquamur de corpore naturali: quandoquidem singula eius membra, proprias ac separatas facultates, & quodammodo iura sua obtinent, oculus videndi, auris audiendi, stomachus cibum concoquendi, prout Apostolus dixit ad Rom. 12. v. 4. *In vno corpore multa membra habemus omnia autem membra non eundem actum habent.* Eodemque modo in corpore sacri alicuius Collegij, seu Congregationis secularis, aut regularis, discreta plerumque sunt singulorum titulorum officia, ac iura; puta Præpositi, Decani, Abbatis, Prioris, &c.

Quid itaque dixi, aut quid mihi ostendere propositum fuit in allegata qu. 1. præamb. in fundam. 4. & 5. Id videl. quod Monasteria Ord. S. Benedicti v.g. quæ singula per se, ac separatim corpora, Collegia, & sacræ Congregationes sunt, in vnum totius Ordinis aliquod corpus non coalescant, seu vniantur. Quia ad huiusmodi plurium Monasteriorum, aut sacrorum Collegiorum vnionem necessa-

rium est, vt eorundem iura ac bona sub vnius Capitis seu Superioris dispositione, ac gubernatione, communicabilia sint. Quæ ipsa tamen communicabilitas non ita intelligi debet, quasi singula Monasteria, aut sacra Collegia, eorumque iura non maneant diuisa, sed quod ea ita sint dispositioni Superioris, tãquam vnius Capitis (prout postea explicabo) subiecta, vt per ipsum personis, quæ eiusdẽ Ordinis, communicabilia sint, sicuti colligi potest ex ijs quę tradunt DD. super c. & temporis 48. causa 16. q. 1. Doctrina itaque in eo consistit, quòd religiosi Ordinum S. Benedicti, Canonicorum Regularium S. Augustini, & aliorum, qui professionem edũt restrictam ad certum locum, seu Monasterium, & particularem Prælatum eius, ita ius ac titulum beneficij, aut quasi beneficij seu sustentationis obtineant, vt cum aliorum Monasteriorum, quamuis eiusdem Ordinis, personis, bonis, ac iuribus communicationem aut participationem non habeant.

Sed longè aliter se res habet in eorum Religiosorum familijs, qui sub vno Generali Capite, Prępositis quoque Prouincialibus, ita constituti sunt, vt eorum arbitratu de vno Monasterio, sacra domo, aut Collegio, ad aliud eiusdem prouinciæ, imò etiam de prouincia in prouinciam trãsferri possint, atque ob eam ipsam translationem, ex communibus bonis ali, iuribusque frui debeant. Et tantò quidem maior céseri debet cuiusq; religiosi Ordinis, tanquã vnius corporis, copulatio, quantò hæc personas mutandi, transferendique potestas gubernationis, bonorumque ac iurium communicabilitas maior, pleniorque est. Quamobrem Religiosi isti obedientiæ professionem nõ alligant loco aut Prȩlato loci, sed quicunque ipsis, & vbicunque locorum à Capite generali, aut eius Vicario, siue Prouinciali præpositus fuerit, huic obedire tenentur.

Neque hæc res in sola theoria consistit, sed experimur eius vsum, ac praxin quotidianam. Etenim hoc ipso, quod v.g. Religiosus Ord. S. Dominici, ex Generalis, aut Prouincialis sui volũtate, in alio Monasterio eiusdem Ordinis collocatur, Prælatus eius loci ipsum recipere, & alere debet, atq; vicissim Religiosus, ex obedientiæ voto, eidem subesse, & secũdùm regulam parere. Atque hoc ipsum discrimẽ inter Ordines Religiosorum, quorum Monasteria aut sacra Collegia, modo iam dicto bona & iura communicabilia habent, aut non habent, ab aliquot annis in Germania, cùm è sedibus suis eiecti, ac rebus omnibus spoliati essent Religiosi, satis, vti arbitror, apparuit.

Eod. fol. 126. nu. 67. *Neque ex definitionibus* corporis moralis à DD. tradi solitis ait Astrologus *sequi, quòd sit de necessitate absoluta Corporis moralis, vnum Caput habere. Vnde etiam vacante Pontificia Sede orat Ecclesia: Omnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur. Et Batauí faciunt vnum corpus, & Heluetij vnum, & quæcunque demum Respublicæ, vel artificũ* 67.

corpora

corpora per Aristocratiam, Dimocratiam, Duumuiros, Triumuiros, Septemuiros, aut Tribunos gubernantur. Proferri igitur debet lex aut textus, quo cœtus eiusmodi vetentur esse corpora, qui Caput vnum generale non habent.

Sophistica hæc itidem responsio est: Neque enim ego dixi, ad rationem moralis corporis, seu Congregationis hominum vniuersim requiri, vt vnum Caput habeat: Sed speciatim locutus sum de Ordinum Monasterijs, seu sacris Collegijs aut Congregationibus, vt eæ vnũ corpus constituãt, necesse esse, vt vnum commune Caput habeant. Quemadmodum enim Ecclesia Catholica vniuersalis ita à Christo Domino bene constituta fuit, vt esset Monarchia, siue vni visibili Capiti ac Pastori generali subiecta: Ita & particulares quælibet Ecclesiæ, seu fidelium Congregationes, vni Particulari Capiti, seu Pastori in spiritualibus subiectę esse debent: Ideoque, si particulares Congregationes, Collegia, aut Ecclesiæ regulares sint, quæ singulæ singulis Prælatis, sine subordinatione ad vnum commune Ordinis Caput, pareant, eæ Congregationes, aut Monasteria vnum inter se corpus ecclesiasticum non constituunt.

67. Quod autem de Ecclesia Pastore suo orbata adijcitur, appellari nihilominus Ecclesiæ corpus: Id inprimis retorqueri contra Aduersarium potest: vocari enim solet Ecclesia *viduata, orbata,* quasi ei secundùm præsentem, & actualem statum aliquid desit. Deinde causæ afferri possunt, cur Ecclesia visibili Pastore destituta, corporis ratione, appellationemq; sortiri debeat, partim quia facultas, obligatioque adest, mox Ecclesię orbatæ prouidendi, iuxta c. vbi periculum 3. de elect. in 6. partim quia non deest interim inuisibile ac principale Ecclesiæ Caput in cœlis, cuius vicem gerit Caput visibile in terris. Ioan. 21. v. 16. & 17.

Ostendere deinde conatur Astrologus, *neq; Ordinem S. Benedicti tale corpus esse, quod capite careat.* Qua de re infrà sermo erit p. 2. cens. 10. & 11.

Fol. 127. n. 70. hæc verba leguntur: 68.
Vult (Opponens) *ad hoc vt totus Ordo, seu Vniuersitas actionẽ possit instituere super spolio, requiri, vt Caput habeat nõ qualecunque, sed quod pleno iure omnia Collegia particularia siue membra Vniuersitatis gubernet, ita vt non personas modò, sed & bona temporalia liberè & quidem ordinariè de vno loco ad alium, de vno Collegio particulari ad aliud transferre, mutare, versareq; possit, adeoq; necesse esse, vt bona inter se communicabilia, non separata, personas mobiles, non loco stabilitas habeat. Quæ proinde omnia cùm non reperiantur in Ordine Canonicorum regulariũ S. Augustini, nec in Ordine S. Benedicti, imò ne in Cistercienſi & Præmonstratensi quidem, quantumuis Capite generali prouisis, & exemptis, concludendum esse adstruit, nulli eorum actionem in vacantia suorum Ordinum Cœnobia competere. Aliud autem esse in Societate* IESV, *cuius* (quæ sequuntur, verba distincto charactere excusa sunt, quasi sit textus Iustæ defens. p. 15.) *Generalis adeò sit Caput Societatis totius, tanquam vnius Corporis, vt per-*

perſonas de loco in locum liberè transferre, & de omnibus bonis ac iuribus Collegiorum ac domuum, cum auctoritate diſponere, & ex iuſta cauſa de loco in locum transferre poßit. Suar. tom. 4. de Relig. l. 2. c. 28. nu. 8, & 9.

Plura hic peccata committuntur ab Aſtrologo: I. Quod textum Iuſtæ defenſionis flagitiosè falſat. Dixeram enim, quòd Præpoſitus Generalis *ex iuſta cauſa, videl. ſi alicubi reditus abundantes ſint, de Collegio ad Collegium, cum Societatis conſenſu, transferre poßit.* Quæ formalia verba mea quam diuerſa ſint ab ijs, quæ falſata produxit Aſtrologus, conferendo perſpiciet Lector.

II. Quæ ipſe refert, tanquam ex meis verbis ſumpta requiſita, ad hoc vt Ordo aliquis, ſeu Religioſorum Vniuerſitas, Monaſteria hæc propriè dicta actione, petere poſsit, primum duntaxat verum eſt; cętera autem falſa. Nam alioquin neque Ordinum Mendicantium Generales pro Monaſteriorum ſuorum recuperatione agere poſſent: Imò verò (vt conſequẽter dicamus, cùm eadem ratio ſit) neque Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ad Eccleſias & ſacra Collegia diœceſis ſuæ, ab hæreticis detentoribus recuperanda, vlla talis actio competeret, cùm conſtet, iura & bona ſingularum Eccleſiarum, & ſacrorũ Collegiorum propria, & ſeparata eſſe, ac proinde de vno particulari loco ad alium *liberè transferri, mutari, verſariq; non poſſe.*

III. Committitur hîc fallacia, ſiue *captio accidentis.* Quod enim ego cum P. Franciſco Suarez cit. eo loco ſpecialiter dixi de Societate IESV, iuxta Conſtitutiones eius à Sede Apoſtolica approbatas, id Aſtrologus accipit tanquam vniuerſim à me dictum ſit de omni Regularium Ordine, quòd de loco in locum reditus abundantes transferendi poteſtatem habere debeat, vt pro extinctis Monaſterijs agere poſsit. Quemadmodũ ſi ex eo, quòd Titius Grammaticus ſit, collegerim hominem eſſe, tu hinc inferre velis, omnem hominem neceſſariò eſſe Grammaticum, malum vtique Dialecticum ages. Quia licet ex eo, quòd quis Grammaticus eſt, conſequens ſit, hominem eſſe, non tamẽ vice verſa: Quia ex conſequente non infertur antecedens. Ita rectè in Iuſta defenſ. q. 1. pręamb. ad obiectionem ſeu argum. 3. Si Ieſuitæ ex Collegijs expulſi ſint, poſt centum annos, quando omnes eorum habitatores mortui erunt, Societas ius actionemque ad ea prætenſura erit; Rectè, inquam ratiocinando oſtendi & concluſi pag. 15. talem actionem indubitatè competere Societati IESV, eò quòd Religioſi in Collegijs nullũ ius aut titulum alicuius beneficij habeant, & non ſolum ipſi de loco ad locum liberè transferri, ſed etiã bona Collegiorum, ſi abundantia ſint, à Præpoſito Generali, ad alia Collegia, cùm Societatis conſenſu, transferri poſsint. Hinc verò nequaquam inferas, vt Generales aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, v. g. S. Dominici, Carmelitarum, &c. actionem, vindicationemque, ad Ordinis ſui recuperanda

cuperáda Monasteria instituere possint, necessarium esse, vt eâdem reditus abundantes à Monasterio ad Monasterium, sine speciali Sedis Apostolicæ petitâ licentiâ transferendi facultate præditi sint.

LOCVS VII.

Notissimus est fallaciæ locus, qui dicitur *AEquiuocationis*: Cũ vox geminam significationem, acceptionemque gerens, ad alterum sensum, quem in locutione habere non debet, fallendi causa, accommodatur.

Fallaciam istam non raro exercuit Astrologus, prout in altera parte fusiùs ostendetur: Hîc autem breuiter exempla quædam indicabo. Fol.113.
45. num.35. fallit Lectorem ambiguitate vocis *Monasterium*, quod interdum accipi solet pro materiali Religiosorum ædificio, ac habitatione: Interdum verò pro Religiosis in vnum Congregationis corpus collectis. Ait itaque Aduersarius, cùm in Iusta defens. docui, spirituales titulos & Iura Collegialia Monasteriorum, morte omniũ Religiosorum, extincta esse, *Monasterij* nomen à me in priore significatione accipi, non posteriore. Sed planè oppositum docui. Et quæ nam esset hæc imperitia, si quis existimaret, aut diceret, titulos seu iura Collegialia non Monachorum Congregationi, sed materiali structuræ, aut loco per se ac directè adhærere, atque ideo non personalia communiter, siue corporalia (vti DD. loqui solent) sed realia & localia esse? Hac de re pluribus infrà p.2. cens.6.

Eod. fol.113. in fine, & tribus seqq. 45.
folijs eadem arrepta *aequiuocationis* ansa, varia loquitur, & quæstionis statum sæpe confundit. Cùm enim iura Monasterij, Ecclesiæ, aut Collegij duplici sensu accipiantur, vel vt realia, quæ per se ac directè censentur adhærere rei, & loco; vel vt personalia communiter, quæ per se ac directè inhærent personis in communi viuentibus: Astrologus cit. fol. 113. 48
quæstionem priùs rectè proposuit: *An mortuis omnibus de Conuentu, Monasterium seu Ecclesia priùs titulis, fundationibus & iuribus Prælaturæ, Abbatiæ, Prioratus, &c. affecta, hosce titulos eo ipso mox omnes perdat, & omnia iura Collegialia, quæ habebat. Noster Opponens affirmat, &c. Nos negamus.* His verbis apertè fatetur, controuersiam inter nos esse de iuribus collegialibus, seu communiter personalibus, videl. titulis ac iuribus Prælaturæ, Prioratus, &c. quæ iura ipsi Congregationis Corpori inesse, certum est. Postea verò, cùm partem, quam asseruit negatiuam quæstionis, ostendere deberet, multa in fol.114.115. allegat DD. testimo- 47. 48.
nia, in quibus sermo duntaxat est de iuribus & priuilegijs realibus, siue localibus: vt apud Innocent. in c. cùm ex iniuncto, de noui operis nunc. Frideric. de Senis, consil.15. Gl. in reg.7. de reg. iuris in 6. quòd *Ecclesia vel ciuitas non Principis auctoritate, sed facto, v.g. à Tyranno destructa, retinet priuilegia sua.* Audiamus E.C.Gl. ab Astrologo citatam. *Priuilegiorum aliud est*

personale, aliud reale: Et quod dicitur hic, *quòd priuilegium personale extinguitur cū persona, intelligas idem de reali, vt scil. extincta re, extinguatur priuilegium. Quod dic verum, quando ipsa res, vel loca, puta ecclesia, ciuitas, vel loca alia sacra vel profana destruuntur Superioru auctoritate, secundùm Ioan. & Laur.* Et mox: *Sin autem destruatur ab hostibus, retinet omnia sua priuilegia.*

Eandemq; doctrinam tradidit Baldus in procem. ff. col. 2. eamque etiam frustra pro se allegauit Astrolog. fol. 114. princ. *Ecclesia dicitur curata, si quondā fuit, licet omnis populus eius aliò se transtulerit, vel decesserit: est enim cum spe, & aptitudine reparationis. Sic ciuitas destruitur, si eius incolatus perpetuò deseritur, nec ibi deinceps ponendus Episcop. arg. l. Pater, §. Tusculanus ff de leg. 3. Et sic per destructionem facti deuenitur ad destructionem iuris: quia remoto actu & potentia, remouetur habitus: quia habitus esset frustra. Innoc. tamen dicit, quòd non est verum, nisi destruatur auctoritate Superioris, vt ipsè notat in c. cum ex iniuncto, de operis noui nunciat. Sed Innoc. dicitur intelligi, vbi de facto est spes reparationis.*

47. Verissima doctrina, quam ego Baldi testimonio simpliciter allegato tradidi pag. 6. & 7. Iustæ defens.

48. Sed Astrologus queritur fol. 115. in med. eam Baldi doctrinam *ab Opponente non esse fideliter adductam, & ex ea plurima deduci, quæ Baldus nūquam somniauit*. Non verò exprimit, cur non fideliter adduxerim Baldi auctoritatem, aut quęnam ex ipso collegerim, de quibus nunquam cogitauit. De quo infr. p. 2. cens. 6.

Fol. 114. in princ. & 118. nu. 44. affert Astrol. duplicem sacri Collegij dissolutionem: vna est, *per auctoritatem Superioris*, propter delictum, vel aliam grauem causam: alia verò solutio, quæ *facto* fit per mortem, vel voluntariam cessionem omnium Collegiatorum. Hæc est vera, & recepta doctrina, secundùm quam, eæ species dissolutionis oppositionem inter se habent, vt neutra sub altera comprehendatur. 46. n. 35 53. n. 44

In eo verò decipit Astrologus, quòd priorem illam vocet *dissolutionem iuris*, eique opponat *dissolutionem facti*, per mortem omnium: quasi hæc posterior dissolutio *iuris* non sit, atq; iura Ecclesiæ siue Collegij per eam non amittantur. Commodè autem accidit Astrologo, quòd vocabulum *iuris* æquiuocum sit, variasque significationes gerat: Interdum enim sumitur pro Iudicis sententia, iuxta c. 2. de Const. in 6. *Extra territorium ius dicenti, &c.* Quare iuxta hanc acceptionem, admitti potest ea diuisio, quòd alia sit sacrorum Collegiorum *dissolutio iuris, & alia facti*. Interdum verò, & quidem frequentiùs nomen Iuris accipitur vt idem sit, quod lex, aut canon: Ita enim appellamus *iura ciuilia & canonica*, id est, leges ac decreta. Interdum quoque accipitur pro facultate agendi, petendi, conferendi, &c. Quo sensu dicere solemus *Ecclesiæ competere iura* sua. Et has posteriores acceptiones *iuris* Lectori obtrudit Astrologus, eiusque dicta eò tendunt cit. fol. 114. & 118. vt existimetur, omnibus è Mona- 46. 53.

sterio

ſterio mortuis, titulos & iura Collegialia permanere, quia diſſolutio Collegij non eſt iuris, aut de iure, ſed facti duntaxat. Quæ doctrina falſa eſt.

Bartolus in l.vlt.nu.22. ff. de Colleg. illicitis, Baldus in l.ſicut, §. In Decurionibus, ff. Quod cuiuſque Vniuerſitatis, Abbas Panorm. in c. recolentes nu.3. de ſtatu Monachorum, & alij, quos ipſemet Aduerſarius allegauit, in his terminis locuti fuerunt, quòd alia ſit Collegij diſſolutio, quæ fit ſententiâ, aut mandato Superioris, alia verò quæ fit caſu, aut facto, videl. morte, aut ceſsione voluntaria omnium Collegiatorum. Cur itaq; hunc loquendi ac diuidendi modum Aſtrologus non retinuit, niſi quia alter modus, quem paſsim inculcat, quòd *alia eſt diſſolutio iuris, & alia diſſolutio facti*, propter ambiguitatem vocabuli *iuris*, fallacijs ſuis accommodatior erat?

Exemplo res clarior fiet. Excommunicationem eccleſiaſticam quandoque incurrunt fideles *per Iudicis ſententiam*, quandoque autem *facto*. Quod ſi iam aliquis excommunicationem quę ipſo facto incurritur, opponere velit ei excommunicationi quæ iure incurritur: non aberrabit quidem à vero, ſi nomine iuris, Iudicis ſententiam intelligere velit: plurimum autem errabit, alioſque in errorem inducet, ſi ea arrepta occaſione, inferre velit, eum qui ipſo facto excommunicationem contraxit, v. g. ob Clerici percuſsionem, de iure excommunicatum non eſſe, aut iuribus aliorum fidelium adhuc frui poſſe. Videatur etiam infrà pag. 2. cenſ.6.

Alia plura fallaciæ æquiuocationis ſpecimina reperientur p. 2. cenſ. 12. 14.15. & aliàs ſæpius.

LOCVS VIII.

INter fallacias id quoque numerare debeo, quòd non rarò in ijs ponendis, atque demonſtrandis copioſus ſit, quę tamen cauſam & intentionem eius non adiuuant, nihilominus verò concluſiones inde inferat, quæ minimè ex dictis, aut probatis ſequuntur.

Fol.102.nu.1. aſtri inextincti, quęſtionis deciſionem, tanquam intentionem cauſæ ſuæ in medium adfert, 29.
quod, de iure communi, omnia Monaſteria neceſſariò debent reſtitui perſonis eiuſdem qualitatis & Religionis, cuius erāt demortua, & quod Religioſis Ordinum hac de cauſa legitimè competat actio. Hæc eſt Aſtrologi principaliter intenta aſſertio, quàm cū oſtendere deberet, nullum penitus can. aut legem in mediū adfert, per quā hæc eius aſſertio confirmetur, ſed neque vllum Auctorem claſsicum producit, qui eiuſdem cum ipſo ſententiæ ſit. Claſsicum inquam, ſiue cuius ſcripta in lucem edita ſunt, ita vt ab omnibus legi, contextus inſpici, & conferri, atque iudicium ferri poſsit. Quod dico propter Romanorum Aduocatorum, quæ fol.108. & 109. allegat, conſilia: De quibus, quid iudicandum ipſemet cenſeat, dicam infra p.2. in fin. cenſ.8.

Hic autem breuiter videamus, quę nam saltem impertinentia allegando, assertionem intentionemque suam ostendisse videri velit. Inprimis, di-
29. cto fol.102.n.1.2.& 3. fundamenti loco ponit, & auctoritatibus ostendit, quòd mortuo Monasterij Prælato, priusquam alteri prouideatur, Monasterium dicitur vacare, & quidē de iure: Nam Ecclesia carens Pastore, dicitur vidua. Et debet tunc per Cōuentum, spectato cōmuni iure, eligi persona, quæ eiusdem Religionis ac habitus sit. Resp. Hæc esse verissima, sed ad propositum nihil facere: Quia sermo nobis non est de Monasterijs, seu ecclesijs Regularium viduatis, & Pastore orbatis, permanente Conuentu, sed de Ecclesijs, seu Congregationibus, quarum Prælatus, atque Conuentus totus mortuus est.

30. Pergit Astrologus fol. 103. nu. 4. & 5. atque ita discurrit: Si Electores intra trimestre tempus non eligant, vel si eligant scienter indignū, priuantur ipso iure, pro ea vice, electione actiua. Quòd si Monasteria non exempta sint, ad proximum Superiorem, id est, Episcopum electio deuoluitur. Eoque casu Episcopus, seu proximus Superior non potest alium eligere, quàm ex corpore ipsius Ecclesiæ, si dignus adsit. Hæc omnia iuribus & auctoritatibus demonstrat, sed frustra, quia ad intentionem, assertionemq; eius initio positam nihil conferunt, vti mox patebit.

At verò in n.6. propiùs ad rem accedendo, ita loquitur: *Si verò cōtingat, totum Collegium Canonicorum seu Monachorum mori, non relictis alijs in gremio, qui electionem instituere poßint, vti contigit in Monasterijs ab hæreticis occupatis, electio actiua iterum ad immediatum Superiorem deuoluetur, c. quamquam, de elect. in 6. in fine, & ibidem Canonistæ.* 31.

Resp. Astrologus falsò allegat hoc c. quamquam, & Canonistas ibidem. Nam duæ tantùm recēsentur species deuolutionis, quæ ipso iure fiant, & quidem ad proximum Superiorem, si sermo sit de non Cathedralibus Ecclesijs: Prima est in casu negligentiæ, altera in casu priuationis, si Electores indignum eligant, prout ipsemet dixerat nu. 4. Vnde ergo accepit tertiā speciem deuolutionis ad proximum Superiorem, videl. si omnes è Collegio mortui sunt. Non ex illo, quod malè citauit, c. Quamquam, sed nec ex vllo alio can. prout infrà dicetur p. 2. cens. 38. Neque Panormitanus, & alij, quos allegat DD. quando docent, in casu extinctorum Monasteriorū, aut Collegiorum, quæ exempta non sunt, ordinationem deuolui ad proximum Superiorem, ad quem de iure pertinet confirmatio, nituntur illo c. quamquam. Vide infrà p. 2. cens. 4.

Vlteriùs progreditur, & ait fol. 105. 32.
n.8. *Facta huiusmodi deuolutione per mortem omnium in Monasterijs vel Ecclesijs, Superior immediatus tenetur similiter spatio trium mensium prouidere Ecclesia viduata de Prælato.* Noua hæc doctrina est, nullibi in iure Canonico reperta, neque à Doctoribus asserta. Cap. verò *ne pro defectu* 41. de elect. quod Aduersarius allegat, loquitur de deuolutione ob casum negligentiæ, itaque

trans-

transferri nō debet ad deuolutionem ob mortem omnium. Quia *à diuersis non fit illatio*, præsertim cum iura, vt suprà dixi, huius deuolutionis nunquam meminerint.

fol.34. Num. autem 12. eiusd. fol. 105. super iactis à se fundamētis, denuo adstruit: *Videamus, cui Superior debeat conferre Monasteria vacantia, iure deuolutionis.* Et mox fol. 106. in princ. ex Rebuffo refert, quod *Superior iure deuoluto tenetur eisdem conferre personis, quibus tenebatur inferior ante deuolutionem:* Abbatem quoque Panorm. & alios in eandem sententiam allegat, nu. 13. & 14. Sed incassum omnia sunt: Nā Doctores loquuntur de iure deuolutionis, cuius in sacris canonibus mentio fit: At verò sacri Canones nullius vnquam deuolutionis meminerūt in casu, si omnes è Collegio mortui sunt: Nihil itaq; ad propositum allegatur.

35. Fol. 107. quædam allegationes de industria falsatæ sunt ab Astrologo: Videl. n. 14. vbi post relatam doctrinam Abbatis Panorm. in c. cùm ex iniuncto, nu. 5. de noui operis nunciat. Canonicis per violentiam Tyrāni expulsis, aut mortuis, alios substituendos esse, addit falsarius; notandū esse, quòd rationē huius dicti afferat Panormitanus, *eò quòd Clerus fuerit spoliatus.* Qua re Lectori insinuare vult, Canonicis omnibus pulsis, aut mortuis, reliquum Clerum actionem habere ex spolio. Quod falsum est, neque Abbas id dicit, cùm tamen verba illa, tanquam ipsius formalia sint, distincto charactere attulerit.

Iterum nu. 15. fraudulenter allegat, quibusdam verbis omissis, testimonium Gl. in c. statutum, 22. ver. Collegiatas, de elect. in 6. quasi ea loquatur in casu nostro, si omnes è Collegio, etiam ipse Prælatus, mortui sint: Cùm tamen Glossa expreßè loquatur de casu, si solutum sit Collegium vno solo remanente. Nam & tunc desinit esse Collegiū actu, sicuti *& grex esse desinit, si vnum tantùm animal mansit in grege,* ait Gl. ibi allegata l. si grege legato, 22. ff. de legatis primò. Et postea subdit: *Si Collegium desinat ibi esse, puta Canonicorum morte, locum habet decretal. quia alij debent substitui, &, si non faciant hi, ad quos primò pertinet, infra debitum tempus, ad Superiorem deuoluetur, & sic de singulis vsq; ad Papam: Et ius Collegij bene remanet in vno, quod dic, vti notatur suprà de postul. Prælat. c. gratum: Si autem destruatur Collegiū Superioris auctoritate, puta quia facit ex causa, tunc non habet locum Decretalis.* Hæc verba Gl. retulit Astrologus, omissis intermedijs illis, *Et ius Collegij bene remanet in vno, quod dic vt in c. gratum.* Ex his enim Lector aduertisset fraudem, quòd nimirum Gl. loquatur in alio casu, nihil ad propositum pertinente.

Atq; hæc, quasi introductionis cuiusdam loco, dicta sufficiant. Deinceps autem librum Astri inextincti particularius peruoluere aggrediar, atque ea, quę contra Iustam defensionem, ad statum quæstionis principalis perturbandum, veritatem euertendam, calumnias aduersus me, ac potiùs Societatem nostram, iaciendas, allata sunt, qua possum breuitate & claritate, proponam, & refutabo.



PARS ALTERA.

Continens particulares astri inextincti Censuras.

CENSVRA I.



6. IN Præf. ad Lectorem, fol. 89. 90. vbi pluribus demonstrare conatur Astrologus, Sacr. Cæs. Maiest. in Iusta defensione oppugnari, inter alia hoc mihi dictum tribuit: *Incumbere necessitatem defendendi suam Maiestatem, ne piissimus Cæsar Sedis Apostolicæ auctoritatem, eiusdemq; iura imminuere, Ecclesiasticas causas ad forum suum trahere, Romano Pontifici leges in ea re præscribere, Ecclesiasticamque potestatem lædere videatur. Cùm ad Pontificem, non ad Cæsarem pertineat Ecclesias transferre, vnire, diuidere.*

In hac allegatione, hac inprimis fraude vsus est Aduersarius, quòd verba, quæ post vocem *videatur* in Iusta defensione nu. 27. proximè sequuntur, penitus omisit, *Veruntamen ab his omnibus Augustissimi nostri Cæsaris mens ac voluntas alienissima est: Quia rationes eas, itemq; argumenta epistolæ ad Oratorem, &c. Maiestas sua nunquam vidit, aut legit.* Intelligit iam Lector harum rerum gnarus, quidnam eo in loco dicere voluerim: Quomodo autem Astrologus mentem meam peruerterit, & aliorsum transferre per calumniam ausus fuerit, mox clariùs apparebit.

Altera itaque, eaque præcipua est hominis fraus: Quòd verbis ex Iustæ defens. prooemio num. 27. allegatis, cohærenter annectat ex pag. 52. alia, longè diuersa intentione, scripta verba, *Cùm ad Pontificem, non ad Cæsarem pertineat, &c.* Vbi aduertet Lector, commodè accidisse Impostori huic, quòd in eo loco repererit copulam causalem *Cùm*, vt connectendo hæc cum superioribus verbis, videri possit Laymannum rationem ibi reddere, cur Cæsar Sedis Apostolicæ auctoritatem minuere, causas Ecclesiasticas ad forum suum trahere censeatur, *quia per Generales Ordinum, &c. instituti processus, coram Imperatoribus, aut Camera Spirensi fuerint admissi*, prout ipse præmiserat citat. pag. 89. At verò hæc ratio, & doctrina à mente & scriptis meis remotissima est: Atque longè aliud pag. illa 52. docui, 7.
videl. Monachis illis, (de quibus ibi sermo erat) *nullum ius* per translationem Monasteriorum *auferri, cùm nullum*

nullum habeant: *Et, si auferretur, id non Imperatoria potestate fieret, vrgente Rom. Pontifice.* (Ita enim imperitè loquebatur susceptæ defens. Auctor, qui eo in loco refutatur.) *Cùm ad Pontificem, non ad Cæsarem pertineat Ecclesias transferre, vnire, diuidere.*

Tertia fraus in eo consistit, quòd ad corroborandum, ac penitus persuadendum Lectori, eam aduersus Cæsar. Maiestatem à me fuisse latam censuram; aliam doctrinam adiungit ex pag. 16. Iustæ defens. vbi verba Innocent. III. c. cum iam dudùm 18. de præbendis, allegata reperiuntur, *Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debent tolerari.* Hunc locum non ibi tantùm, sed alibi passim, cùm in Astro inextincto, tum in Actione perduellionis, fol. 11. 42. eò detorquet Aduersarius, quasi docere voluerim, in Aula Cæsarea, & Camera Spirensi, spectato iure & iustitia, non potuisse processus de Monasteriorum restitutione agitari: quamuis id à Pontif. Romano, alijsque Ecclesiasticis Prælatis hactenus toleratum fuerit. Quæ est planè euidens hominis impostura: Siquidem nullo vnquam id verbo significaui, sed varijs in locis disertè contrarium, pag. 248. Iustæ defens. *Cæsar ex supremo nobilissimo officio spoliatis aut legitimis spoliatorum successoribus iustitiam administrare, eosque in pristinum iurium ac bonorum suorum possessionem reducere debet* (sermo ibi est de Monasterijs quæ ab hæreticis malè detinentur) *prout exempla plurima Caroli V. Cæsaris, & Rom. Imperij perpetua praxis demonstrat.* Et pag. 478. *Cæsareum Edictum non nititur meri duntaxat Iudicis supremi officio, quod partibus iustitiam implorantibus impartiri debeat, cùm etiam nemine in particulari ius & actionem instituente, aut ius agendi habente, Cæsar, tanquam vniuersalis Ecclesiæ Aduocatus & Patronus, ex nobilissimo & LIBERRIMO suo officio, Monasteria & bona ecclesiastica ab illegitimis acatholicis detentoribus repetere possit ac DEBEAT.*

Quanam autem intentione Innocentij III. verba in suprà cit. c. cùm iam dudum, à me allegata fuerint, clarissimè quilibet cognoscet, si locum integrum pag. 16. Iustæ defens. inspexerit. Præmiseram enim, propter æquitatem, Monasteria multa (imò, vt alibi dictum, plurima, & pleraque) eorundem Ordinum Religiosis restitui. *Sin autem* (adiunxi) *de iure contendere velint, &c, tanquam debita sibi, Monasteria vindicare, ita, vt Roman. Pontifex, cum Cæsare, aliud decernere non possit, tunc ipsis hoc ius negatur, atque locum hic habet, quod Innocentius III. dixit, Multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia, non debent tolerari.* Apparet, quòd dicti huius accommodatio ad ea, quæ proximè antecesserant, & non ad aliud quippiam, referebatur, videl. si Religiosi illi adeò de iure suo contendant, & tanquam debita sibi Monasteria exigant, vt aliud decerni nulla auctoritate possit; quia talis translatio iustitiæ naturali repugnet &c. tunc locum habere Innocentij Papæ III. sententiam:

Si eiuſcemodi prætenſiones, atque aſſerta ſecundùm iuſtitiæ regulas examinata fuerint, toleranda non eſſe.

Quarta, & maximè pernicioſa fraus Aſtrologi eſt, quòd ex falſatis Iuſtæ defenſ. ſententijs & ſuppoſititijs doctrinis ipſe corollaria infert, cit. fol.
7. 8. 90. & 91. Cauſas & proceſſus iudiciales à Generalibus Ordinum pro reſtitutione Monaſteriorum inſtitutos, nec potuiſſe, *nec debuiſſe de iure coram Cæſareo tribunali ventilari*: Conſequenter decretum ſeu Edictum generale *ex hac parte falſum, eccleſiaſticæ immunitati repugnans, ideoq; nec tolerandum eſſe*: Sententias reſtitutionis à tribunali Cæſareo pro Generalibus Ordinum latas, & executioni mandatas fuiſſe ſecundùm quandam æquitatem, ſed *exigente iuſtitia non debuiſſe tolerari*, *adeoque ne decretum quidem Cæſareum quo declarantur huiuſmodi ſententiæ & executiones de iure factæ, aut faciendæ.*

Neque in hoc ſolo fraus iſta Aſtrologi conſiſtit, ſed vlteriùs ſe extendit. Poſtquam enim quæ numerata ſunt corollaria, ex ſuppoſititia Iuſtæ defenſ. doctrina intulit, eadem poſtea tanquam diſerta pronuntiata mea, per ſummã iniuriam mihi attribuit,
220. Fol. 200. *Vehementer dolendum eſt, hunc religioſum Patrem auſum fuiſſe, defectum iuſtitiæ Cæſaris dicaſterio, & Edicto affingere, cùm hæretici, quibus iteratò, prò dolor, patrocinatur, nihil horum obÿcere palàm ſint auſi.* Et fol. 201. *Noſter Oppoſitor*
220. *negat hæc iuſtè decerni* (à Cæſare in Edicto, vt Monaſteria ſecundùm fundationem vtilibus & qualificatis perſonis reſtituantur) *negat Imperialem Cameram eiuſmodi ſententias & iudicia de iure poſſe, vel debere pronunciare, quippe cùm ea ſint talia, quæ per patientiam, & ſecundùm æquitatem tolerata fuerint, non ſolùm indigeant vlteriore examine ac diſputatione, ſed Iuſtitiæ repugnent: cùm Generales Ordinum & Abbates nullum habeant ius agendi, aut vindicandi, adeoque ad formandos proceſſus iudiciales non ſint admittendi, conſequenter neque ſententiæ pro perſonis iuxta fundationem idoneis, & de facto qualificatis ferendæ.* Et alibi ſæpius eadem inculcantur, præſertim fol. 187. 188. 199. 200. Aſtri inextin- 185. 186
cti, & in act. perduell. fol. 11. 41. 42. 217. 218
quæ poſtea etiam in Indicem Aſtri inext. cumulatim collecta ſunt: *Paulus Laymann è Societate Ieſu cauſam hæreticorum adiuuat: Imperatori & Cameræ Spirenſi exprobrat defectum iuſtitiæ: Opponit ſe generali Edicto: Eius liber nuncupatus Iuſta defenſio, in Imperio ſuſtineri non poteſt: Prohibet antiquos Ordines à tribunali Cæſareo.*

Falſiſsimas has impoſturas eſſe, ex his quæ tum hic, tum in Iuſta defenſ. paſsim, & ſupra p. 1. loco 4. §. Supereſt iã, clarè explicaui, perſpiciet Lector: I. Ordines, ſeu potiùs Prælatos Ordinum, quorum Profeſsi vota ſua edũt cum ſtabilitate loci (de his enim duntaxat controuerſia eſt) Monaſteria iſta vacantia coram tribunali Cæſareo petere poſſe, propter æquitatẽ, implorato ſupremo Cæſaris nobiliſſimo officio. Addo etaim, veram illos actionem inſtituere poſſe nomine Eccleſiæ, ſi Rom. Pontifex, aut Epiſcopus Ordinarius (in Monaſterijs nõ exemptis) conſentiat. II. Cæſar Romanus

manus non ſolùm poteſt, ſed etiam ex officio, & iuramento ſuo, tanquã ſupremus Eccleſiarum Aduocatus, obligatus eſt, Monaſteria ab hæreticis iniquè detenta, exigente iuſtitia, reuocare. Idque non tantùm, ſi quiſpiam in tribunali Cæſareo comparẽat Actor, aut qui officium ſupremum Cęſareum imploret; ſed etiam ſi nemo compareat: Quia Eccleſiæ nomine, & auctoritate in recuperandis Monaſterijs, ſacris Collegijs, &c. munitus eſt Imperator, ſupremus & vniuerſalis Aduocatus; Non vt ea ipſemet ordinet, aut arbitratu ſuo de ijs diſponat, ſed vt Rom. Pontifici, alijſque Eccleſiaſticis Prælatis, iuxta ſacros Canones ordinanda tradat; ſaluis tamen iuribus Imperij. III. Nihil omnino ad cauſam ab hæreticis recuperandi Monaſteria pertinet, num aliqui in particulari adſint, qui ea tanquam ſua, repetere ac vendicare poſſint: Cùm ſemper ſuperſit Eccleſia Chriſti, cuius nomine & auctoritate Rom. Pontifex, Cæſar ſupremus Aduocatus, Epiſcopi, &c. actionem, repetitionemque inſtituere queant, imo ex officio debeant.

Hæc alijs etiam locis à me tradita ſunt; quæ ſi Lector veri atque iuſtitiæ amans, conſiderârit, atque cum Aduerſarij fallacijs, & impoſturis compararit, vnà mecum in eam ſententiam ibit, vix vnquam mortalium aliquem repertum eſſe, qui in decipiendo, & calumniando illi par eſſe poſſit. Audiamus, obſecro, ſuas illas pſeudologias, ac dolos, qua demum

223. coronide concluſerit fol. 202. *Ex quibus omnibus apparet eum*(Laymannum) *vltrà quàm hominem Chriſtianum & Catholicum, ne dicam Religioſum, deceat, Sedis Apoſtolicæ declarationibus. S. C. Maieſtati, eiuſq; decretis ac tribunalibus ſeſe opponere, res iudicatas in controuerſiam ducere; pro reuiſione ad ſuum calamum reuocare, &c. Vt cauſam habeat S. C. Maieſtas Auctorem ad publicam reuocationem compellendi, aut illius editum Tractatum prohibendi, confiſcandi & ſupprimendi, veluti S.R. Imper. Conſtitutionibus, & ipſimet Imperatorio ſupremo muneri ac tribunalibus aduerſantem, nociuum, ſcandaloſum, & hæreticorum iniquæ cauſæ patrocinantem; Iuri Canonico, decreto reſtitutionis, priuilegijs & Concordatis Nationis Germanicæ) quibus ne ipſa quidem Sedes Apoſtolica derogatum cupiet (contrarium & repugnantem; litium & periculoſorum in Imperio tumultuum prouocatiuum & exorbitantem.*

CENSVRA II.

POST prefationem, in ipſo diſputationis aditu, primæ & præcipuæ quæſtionis ſtatum perperam & inuidioſè proponit Aduerſarius fol.
99. Aſtri inextincti: *An, & quale ius habeant exempti Religioſi, vbiuis terrarum, ad Monaſteria eiuſdem Ordinis hucuſque ab hæreticis, &c. detenta recuperanda.* Et 25.
mox argumenta mea ex Iuſta defenſione producit, quibus oſtendi videatur, nullum ipſis ius repetendi competere.

Verùm ego locutus non ſum de omnibus Monaſterijs, quæ ab hæreticis detentoribus recuperanda ſunt:

sed de ijs tantùm, quæ per se stantia, & non vnita fuerunt; Atque de eorum duntaxat Ordinum Religiosis, qui professionem edunt restrictam ad certum locum, & particularem Prælatum; Denique in eo tantùm casu, si Professi Monasterij restituendi omnes mortui sint.

Nolo hic examinare, quàm fideliter ex Iusta defensione rationes & argumenta, postea ab ipso refutanda, referat Aduersarius; quibusdam omissis, alijs, pro arbitratu, adiectis verbis. Videatur exempli causa ratio I. sumpta ex Iustæ defens. pag. 444. Referuntur enim verba mea, quibusdam in medio omissis, continuata nihilominus cōstructione, sed non sine vitio latinitatis. Alia deinde ab Astrologo adijciuntur; *Adeoq; non entis nō sunt qualitates; sed Monasteria, & bona vacantia Romanus Pontifex & Cæsar assignare & donare possunt; quibus volunt.* Quo autem consilio locum illum deprauârit, infrà in cens. 6. intelligetur.

27. & 79. In hoc loco prætermittere non debeo, quod fol. 101. & 135. argumenta quædam ex *Placida disceptatione* eo modo afferuntur, & refelluntur, vt Lector existimare possit, ex eadem, cum alijs ex Iusta defensione allatis, officina prouenisse. Quod & expressiùs dixerat Aduersarius in Act. perduell. fol. 15. & 18. in Anatomia pag. 30. Iesuitas Dilinganos auctores esse eius libri, cuius titulus, *Placida disceptatio.* Id verò manifestè falsum esse, abunde ostensum est in Antimelandro fol. 94. 95.

36. Eod. fol. 107. n. 16. ait: *Illustris ad hanc rem locus est in c. inter quatuor, de relig. domibus, cuius titulus est: Locus religiosus debet reformari de Religiosis duntaxat, non de sæcularibus, nisi in defectum Religiosorum.* Et ad marginem, *textus notabilis.* Verùm nihil notabile affertur; cùm neque iste textus agat de casu nostro, si omnes alicuius Monasterij Professi mortui sint; sed, si Monasterium, existentibus in eo atque manentibus quibusdam Religiosis, reformandum sit, prout etiam annotaui Iustæ defens. pag. 183. Quod verò addit Astrologus eod. n. 16. ex S. Gregorio, allegato in causa 18. q. 2. c. 26. *Quæ semel fuerunt Monasteria, in secularium habitacula conuertenda non esse;* id verum est, & de hoc infrà dicam cens. 38. Sed ad rem nihil attinet quādo quærimus, num Monasteria eiusdem Ordinis Religiosis necessariò restitui debeant.

38. Tametsi verò nihil omnino ostenderit, subiungit tamen Astrologus: *Ex his hactenus dictis satis colligi potest, cur Monasteria Ordinis S. Benedicti dicantur & sint patrimonium S. Benedicti, eò quod de iure communi debeant filijs S. Benedicti, quamdiu inueniri possunt, qui loco, vel etiam intuitu sui parētis & legislatoris, eiusmodi Monasteria debitè regant, & possideant.* Adhæc dico, nullum ab ipso ius allatum esse, ex quo colligatur, Monastera ista deberi filijs, seu Professis Ordinum S. Benedicti. Sin autem ex metaphora illa patrimonij paterni, ac filiorum argumentum ducere vellet, nihil sanè efficeret: cùm scire debeat, ius successionis in ecclesiasticis

bene-

beneficijs ac præbendis locum nullum habere, c. quoniam 10. & seqq. de filijs Presbyt. & c. 2. de concess. præbendæ. Id verò ideo moneo, quia in-
51. fra fol. 116. n. 41. & fol. seq. n. 42. successionem hanc, eamque hæreditariam iteratò inculcat. Sed aliter se res habet, videl. quòd Prælatus ius suum ac titulum propriè non consequatur per successionem ab antecessore; sed per nouam creationem & institutionem. Quare dicere solent DD. quod mala fides Prælati antecessoris non nocet successori; cùm ab ipso causam, titulumque non habeat, ex communi Balbus de præscripr. p. 2. tertiæ princ. q. 12. n. 13.

38. Eod. fol. 108. n. 18. *At obijciunt Aduersarij* (inquit) *Romanum Pontificem huiusmodi legibus & iuri communi non esse alligatum. Rectè, Volūt ergo dicere, Pontif. Maximum habere aliam potestatem, qua libera sit à lege positiua: quod nihil aliud est, quàm prouocare ad plenitudinē potestatū absolutæ, quæ nuncquam negabitur: licet asserant, hocce negotium transferendorum Monasteriorum ad illud absolutum tribunal nullo modo pertinere.* Inania prorsus verba: Quæ enim sunt leges illæ aut iura communia disponentia de Monasterijs his vacantibus, eiusdem Ordinis Regularibus restituendis, quibus Laymann & alij dicant, Pontificem non esse alligatum? Nulla vspiam talis lex, nullus canon extat. Et quomodo hæc inter se consentiunt, quando significat, Aduersarios suos in hoc transferendorum Monasteriorum negotio prouocare ad plenitudinem Pontificiæ potestatis absolutæ; licet asserant, negotium, ad absolutum illud tribunal nullo modo pertinere.

Nolo hic pluribus discutere argumentum, quod ex l. cum loca capta, 36 ff. de religios. & sumpt funerum, & mox alleganda l. si captiuus, deducit; Monasteria per Cæsarem ab hæreticorū manibus recuperata, iure postliminij, restituenda esse Ordini S. Benedicti, cuius olim erāt. Quia *expulsis hostib. ex agris, quos ceperant, constat, dominia eorū agrorū, iure postliminij, ad priores Dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ loco cedere, l. si captiuus, ff. de captiuis & postliminio reuersis.* Cū enim Aduersarius nunquam ostenderit, neque ostendere possit, Monasteria hęc ad religiosos Ordinis S. Benedicti dominij iure pertinere, frustra assumit id, quod principaliter in quæstione versatur, eique negatur. Taceo, quod l. illam 36. inscitè alleget, quia & impia sit, & ad propositum eius nihil prorsus pertinet. *Cùm loca capta sunt ab hostibus*, inquit Ethnicus I.C. Pomponius, *omnia desinunt religiosa vel sacra esse: sicuti homines liberi in seruitutem peueniunt: quòd si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reuersa, pristino statui restituta restituuntur.*

Ex his itaque apparet, Astrologum, post positam principalem assertionem, quam ostendere debuisset, multa folia varijs allegationibus & discursibus, nihil ad rem pertinentibus, nec causam eius adiuuantibus, impleuisse.

(?)

CENSVRA III.

30.&31. FOl. 103. & 104. allegat auctoritates Doctorum, qui dicant, *mortuis omnibus è Collegio, ius prouidendi, seu ordinandi deuolui ad proximum Superiorem, qui habet potestatem confirmandi electum, siue is sit Episcopus, siue alius Prælatus.* Hanc ipse receptissimam doctrinam, tanquam multum causæ suæ patrocinantem, atque à me in Iusta defensione negatam, Lectori obtrudit, (sicuti & in Act. perduell. fol. 40.) At verò eandem doctrinam disertè probaui q. 1. præamb. pag. 6. & pag 16. *Qui præest Ecclesiæ*, inquiebam ea pag. 6. *siue Prælatus, bonorum* (ecclesiasticorum) *curator & administrator, vel est immediatus, videl. Abbas, Præpositus; vel mediatus, videl. Episcopus, si Monasterium, aut Collegium sacrum exemptum non sit; ac denique Papa. Quamobrem si Prælatus immediatus, videl. Abbas, vel Præpositus vita excesserit, atque insuper totum Capitulum, seu Conuentus (penes quē iura Ecclesiæ, prælatura vacante resident, c. his quæ, 11. c. cùm olim 14. de maior.) mortuus sit, sequitur, quòd ius totum dispositionis recidat ad Prælatos mediatos, videl. ad Episcopum (si Monasterium aut sacrum Collegium exemptum non est) & principaliter ad Papam.*

Quod autem illa ipsa doctrina causam Aduersarij non adiuuet, apparebit, si ita argumentati fuerimus: Omnibus è Monasterio mortuis, dispositio & ordinatio eius ad proximum Prælatum deuoluitur, ad quem spectato iure communi electio pertinet: Atqui, considerato tam communi & ordinario Iure, quàm recepta Ecclesiarum Germaniæ consuetudine, confirmatio Abbatum & Præpositorum Regularium in Monasterijs non exemptis, non ad aliorum eiusdem Ordinis Monasteriorum Prælatos, sed ad locorum Ordinarios, seu Episcopos spectat: Ergo ad hos ipsos, & non ad illos, eorundem Monasteriorum, quorum Professi omnes mortui sunt, ordinatio proximè deuoluta fuit; Consequenter & actio, si per quamcumque vim, aut detentionem talium Monasteriorum ordinatio impediatur. Videri potest Iustæ defension. q. 1. allegata pag. 16. 38.

Quòd verò attinet ad Monasteria exempta, quæ omnibus eorum Professis mortuis vacant, contentus etiam ero, si innitamur huic regulæ: Quòd eorum ordinatio, consequenter & actio, pertinet ad proximum Prælatum, cui communi & ordinario iure competit confirmatio & institutio Prælatorum; attamen cum dependentia & subordinatione ad Rom. Pontificem, quæ nunquam excludi debet.

Si verò loquamur de Prælatis, qui non iure communi aut primæuo, sed per consuetudinem legitimè præscriptam, aut specialia priuilegia, Electis confirmationem impendere solent; tunc inspiciendum, quousque se hæc specialia iura extendere possint. Addendum verò est; Tametsi eiusmodi Prælati, dum eis Pontifex permittit, actionem, pro Monasterijs rectissimè in-

mè instituant, nequaquam tamen inde consequens esse, Ordinem ius in ijs quæsitum habere, ita vt tanquam sua vendicare possint, si sermo sit de his Religiosis, qui professionem cum stabilitate loci edunt: Quemadmodum nec Episcopi pro recuperatione Monasteriorum non exemptorum aliter agunt, quàm vt ea secundùm Canones ordinent; cum dependentia tamen, atque subordinatione ad Rom. Pontificem.

38. Præterire hic non debeo calliditatem Aduersarij, quando fol. 108. n. 17. Lectori persuadere volens controuersiæ decisionem ex eo pendere, num mortuis omnibus è Collegio ordinatio eius deuoluatur ad proximum Prælatum, eiusque partem negantem amplexum me esse in Iusta defens. idcirco ex ea allegat paucula verba pag. 263. quibus id me negasse, Lectori incauto videri possit: *Ex hactenus dictis*, inquit Astrologus, *satis colligi potest, cur Monasteria Ordinis S. Benedicti dicantur, & sint patrimonium S. Benedicti*, &c. *E contra, quàm rudi Minerua docuerit Opponens, ostendi non posse substitutionem aliquam factam esse, vt emortuo Conuentu, alioq; dissoluto Collegio, ad alios deuolutio fiat.* Sed textus verborum integer ita se habet: *Verum non est, quòd libelli Auctor* (quem ibi refutaui) *ait, Monachos, qui nunc viuunt, esse posteros seu successores eorum, qui in Monasterijs cum stabilitate loci professi, dudum mortui sunt: quandoquidem Monasteria, tametsi eiusdem Ordinis ac regulæ sint, tamen iura ac bona penitus separata habent. Quamobrem etiam ipsa fundationes ad certum huius loci Conuentum diriguntur; neque in ijs ostendi potest, substitutionem aliquam factam esse, vt emortuo Conuentu, adeoq; dissoluto Collegio, ad alios deuolutio fiat.*

Locutus sum hic de lege, seu conditione hominis, eam ostendi non posse in literis fundationis: Alioquin, si expressa fuerit talis conditio, vt in eo euentu, si omnibus mortuis Professis Monasterium v.g. S. Benedicti extinctum fuerit, per alios eiusdem Ordinis ac habitus ordinetur; tunc secundùm ordinariam iustitiæ legem, adimplenda erit conditio, iuxta ea quæ tradunt DD. in c. verùm, 4. de condit. appos. & in c. 4. causa 13. q. 2. vbi dicitur, quòd *vltima voluntas defuncti modis omnibus conseruari debet.* Plerumque autem non apponuntur eiusmodi conditiones; sed Prælatorum, ad quos pertinet, potestati liberum relinquitur, vt secundùm sacros Canones ordinationem faciant. Quidnam autem in eo extincti Monasterij casu fieri secundùm Canones debeat, & num eiusdem Ordinis Religiosi instituendi sint, eo in loco non disputaui; sed neque in toto Iustæ defens. libro, si intelligatur, sicuti Astrologus ibi loquitur, de proximis Prælatis, quibus spectato communi iure, dictorum vacantium Monasteriorum ordinatio competit.

CENSVRA IV.

FOl. 109. n. 23. hæc scripsit Aduersarius: *Iure deuolutionis vacantibus Monasterijs, prouideri debet de personis eius-* 39.

dem Ordinis & Religionis: Cùm igitur actio nihil aliud sit, quam ius persequendi quod sibi debetur, Instit. de action. in princ. Gl. in c. dilecti, de iudicijs, Panorm. in c. Iudicis officium, de offic. Iudicis. sequitur euidenter, Ordini, siue cuiuis de Ordine, nomine tamen Ordinis, seu Monasterij, vt supra dictum fuit, actionem competere, l. 178. §. 2. de verb. signif. Quod enim mihi debetur, de iure prosequor. Hoc ipsum quoque iam toties repetita verba significant, debent, oportet, substituendi sunt, habent substitui, debent subrogari, &c. Nam verbum Oportet sapit praeceptum l. 2. C. de iureiur. & per Bartol. in l. admonendi, ff. eod. tit. Abb. in c. quia contingit, Clem. de religiosis domibus n 9. Idem Abbas in c. cùm super de causa possess. & propriet. n. 13. Et verba oportet, debent, non ad facultatem iudicis, sed ad veritatem debiti referuntur, & omnem actionem comprehendunt, l. 37. cum Gl. l. 108. l. 178. ff. de verb. signif.

Respondeo, frustra hæc omnia allegari, & nihil inde ostendi: Primò, quia, vt suprà dixi p. 1. loco 8. in toto iuris Canonici corpore nullus Canon ostendi potest, in quo huius deuolutionis mentio fiat.

Secundò; Tametsi multi Doctores rectissimè doceant, in casu isto extincti Collegij per mortem omnium, ordinandi potestatem deuolui ad proximum Prælatum, id tamen ipsi non colligunt ex iuribus eod. loco 8. allegatis, in quibus sermo est de deuolutionibus ob negligentiam, vel electionem personæ indignæ. Sed tota hæc theoria, & accommodatio Canonum ad nouam hanc deuolutionis speciē, fictitia est.

Tertio; Interim non nego, Panormitanum, & alios quosdam in hac sententia fuisse, quòd Episcopi, & similes Prælati inferiores Papâ, eiusmodi Monasteria ob mortem omnium vacantia, seu extincta, ordinare debeant per eiusdem Ordinis Religiosos; eamque doctrinam in Iusta defensione nunquam negaui; sed nec approbaui, propterea quòd in sacris Canonibus hunc casum definitum non reperterim, prout infrà iterum dicendum cens. 38. Aut ostendat mihi Astrologus iuris textum, in quo insinuetur, quòd in casu Monasterij vacantis per mortem omnium, talia verba legantur, *Oportet, debent substitui* eiusdem Ordinis Religiosi: Frustra itaque hinc colligit, actionem competere Ordini S. Benedicti, siue Prælatis eius; cùm nulla lex, nullus canon allegetur, per quem hoc ipsis ius conueniat.

Quartò; Tametsi ponamus, reperiri aliquem canonem, quo præcipiatur Episcopis, vt Monasteria huiusmodi vacantia, si exempta nō sint, per eiusdem Ordinis Religiosos ordinent: tamen non rectè inde inferet Astrologus, Abbatibus illis ius & propriè dictam actionem competere. Non enim omnis lex, aut præceptum quo decernitur aliquid dari, aut fieri oportere in hominis fauorem, tribuit ei propriè dictam actionem; sed opus est, vt per illam legem, aut præceptum ius acquiratur, cui obligatio iustitiæ respondeat. Quare quod ex tit. Instit. de actionibus in princ.

princ. refertur, quòd *actio nihil aliud est, quàm ius petendi in iudicio, quod sibi debetur*, non de quocunque debito intelligendum, sed de debito, seu obligatione ex iustitia. Quamobrem in eod. loco Instit. actiones diuiduntur in reales, & personales: Reales sunt, si res obligata esse dicatur: Personales verò, si persona obligata dicatur, siue ex voluntaria pactione, siue ex maleficio, aut quasi maleficio. Quæ omnes obligationes iustitiæ sunt.

Veruntamen, licet lex, aut præceptum in hominis fauorem positum, interdum ei ius iustitiæ, actionemq; aliquam pariat, vti apparet in legato ex testatoris voluntate ab hærede præstando; Item in decimis, quas ex Canonis constitutione, propria dicta actione, ac condictione Parochi petere possunt, argum. l. vn. ff. de condict. ex lege, & tradunt Canonistæ in c. commissum 4. de decimis; Attamē non semper lex, aut præceptum iustitiæ ius homini, actionemque confert; esto, interdum Iudici, Superiori, vel alteri obligationem aliquam adferat, in hominis fauorem quippiam dandi, aut faciendi. Exempli causa: Si lex, aut statutum præcipiat, vt ciues diuites pauperibus, qui graui inopia premuntur, eleemosynas tribuant; non ideo pauperibus ius aut propriè dicta actio acquiritur ad eleemosynas exigendas; cùm lex illa seu statutum non intuitu virtutis iustitiæ, sed charitatis tantùm ac misericordiæ lata sit. Item si defunctus votum non insinuatum, neque acceptatum ediderit, dotandi puellam inopem, obligatur hæres ad exequendum, atque ad id à Iudice compelli potest, ac debet iuxta l. 2. ff. de pollicitat. Non tamen hinc consequens est, quòd puellæ propriè dicta actio competere possit. Sed in eiusmodi casibus officium Iudicis imploratur, vt is decernat & exequatur, quod potest, & quandoque debet decernere & exequi. Quæ doctrina hic tradita, reperietur apud Bartholum super l. 1. ff. de iurisdict. omnium Iudicum, Panormit. in c. 2. n. 2. de offic. Iudicis.

Sic itaque dico; Tametsi fateremur canonem extare, quo præcipiatur Episcopis, vt huiusmodi Monasteria non nisi per eiusdem Ordinis Religiosos ordinarent; non rectè tamen inde inferretur, his propriè dictam actionem competere posse; sed tantùm Iudicis officium & obligationem exigere, quod proinde peti, atque implorari poterit.

Leges, quas Astrologus allegauit, sed, more suo, deprauatè; (iungendo videl. in vnam constructionem, quod dicit Glossa cum verbis legis, & vnius legis verba, cum verbis alterius) partim de debito iustitiæ agunt, videl. l. 37. 108. 178. §. vltimo, ff. de verb. signif. partim in Iudicis officio, siue quid eum agere oporteat secundùm legis præscriptum, l. 3. C. de iureiur. Abb. in cit. c. cùm super n. 3.

Ex his apparet, discursum illum Astrologi vndequaque infirmum, & vacillantem esse. Maiorem verò inscitiam suam, infantiamque nouitius iste Iurista prodit, quando fol. 185, 86.

178.179 185. &fol.186.in princ.vbi postquam verba Theologi retulerat, hoc rerum statu, *Cæsarem sub graui etiam obligatione in conscientia teneri*, vt ex bonis ecclesiasticis & Monasterijs recuperatis seminaria Parochorum, Academias, Collegia Societatis fundet; *Ex hoc asserto*, (subiungit Aduersarius) *sequitur, quòd pro Monasterijs recipiendis, etiam alij præter antiquos Ordines habeant aliquod ius agendi: Id enim quod alter mihi sub graui conscientiæ obligatione dare tenetur, est mihi debitum: quod autem mihi debetur, de iure prosequor: adeoq; ius pro se agendi habebit etiam Oppositor, & iam bellum erit ex vtraque parte iustum, quolibet petente suum & alienum: Et idem erit debitum, & non debitum.* Apparet, hunc hominem ne primis quidem labris iurisprudentiæ studium attigisse; cùm non intelligat, quid sit actio; sed neque Theologiæ peritum esse: Quis enim Theologorum nesciat, non ideò, quia, v. g. diuites obligati sunt pauperibus subuenire, ipsos pauperes ius actionemque habere ad bona diuitum, tanquam debita sibi, exigendum.

CENSVRA V.

42.& 43. FOl. 111. & 112. multa proponit Aduersarius, quæ etsi probata sint, causam eius non adiuuant; imò probatione non indigent, quia pleraque eorum à nemine negantur. Ostendere enim conatur, multos esse, qui ius actionemque ad repetenda Monasteria ista habeant; Videl. summus Pontifex, vt est Generalis omniũ Ordinum religiosorum, fol. 112. n. 33. 43. Romanorum Imperator, tanquam vniuersalis Cœnobiorum Aduocatus, fol. 111. n. 31. Aduocati item particulares; Hæredes, ac descendentes à fundatoribus, &c. eod. fol. 111. n. 30. 41. Locorum Ordinarij siue Episcopi, fol. 112. n. 32. Deniq; quilibet è clero, 43. immò etiam è populo, fol. 110. n. 40. 26. Quanto itaque magis ipsis Ordinibus, & cuilibet ex Ordine, nomine tamen Ordinis, vel Monasterij, actio competere debet? fol. 9. & seqq. *Ex quibus omnibus apparet* (concludit ipse fol. suo 113.) *Aduersarium grauissimè* 44. *hallucinatũ esse pag. Iustæ defens. 19. quando scripsit, neminem hominũ iam reperiri, qui sibi ius & actionem ad Monasteria eidem Ordini restituenda, vendicare posit.*

Cæterùm si huius ipsius allegationis fraus detegatur, ilicò patebunt omnia, quæ ijs in locis ab Astrologo disputantur. Verba Iustæ defens. in ea pag. 19. sunt hæc: *Hic sermo est de Monasterijs, quorum Professi in eo ius, seu tituli, seu proprietatis, aliquod habuerunt, omnes mortui sunt; & ideo nemo hominum iam reperitur, qui sibi ius & actionem vendicare posit: Tunc dicitur facilem causam sufficere, vt Summus Pontifex, tanquam supremus bonorum & iurium Ecclesiasticorum Dispensator; Et Cæsar Romanus, tanquam supremus Ecclesiarum Patronus, Monasteria ad alium Ordinem, vel aliam piam causam applicet.*

Aduertet hic Lector, qua calliditate Astrologus mentem meam peruertere voluerit, ex cerebro suo adiectis verbis illis: *Ad Monasteria eidem Ordini restituenda*; Quasi Pontificem, Cæsa-

Cæsarem, Episcopos, Fundatorumque hæredes excludere voluerim, si actionem, repetitionemque horum Monasteriorum, ad ea eidem Ordini restituenda instituere vellent. Quæ nimis lubrica locutio mihi nunquam in mentem, ne dum in calamum venit, sed hoc solùm scripsi: Cùm omnes Monasteriorum Conuentuales è viuis excesserint, neminem hominum iam superesse, qui seu tituli, seu proprietatis iure, actionem, vendicationemq; instituere possit. Interim verò non negaui, sed sæpius repetiui, Monasteriorum repetitionem ad Cæsarem pertinere, tanquam vniuersalem Patronum, Ad Roman. Pontificem, aliosque Episcopos, & Prælatos ordinarios, non iure proprietatis, aut tituli, siue quasi domini sint; sed vt administratores, dispensatores, ordinatores.

Quòd si verò hi Monasteriorum repetitionem, aut ordinationem negligant, adeoque in defectum, nemo inficiabitur, Fundatorum hæredibus, aut descendentibus, imò cuilibet è clero, aut populo actionem, petitionemque competere posse; vt Monasteria ab iniquis detentoribus recipiantur, eorundemque iura ac bona dispensentur, sicut officij obligatio exigit. Multò minùs itaque hæc popularis actio negari potest eiusdem Ordinis Religiosis, præsertim Abbatibus illis, quos inter Benedictinos, vt
41. præcipuos, refert Astrologus fol. 111. Plus dicam, quòd Patres Benedictini pro Monasteriorum istorum restitutione, & vt ea ex sui Ordinis Religiosis ordinentur, Iudicis officium implorare possint, propter æquitatem: Imò etiam, quòd propriè dictam actionem, repetitionemque instituere queant nomine Ecclesiæ vniuersalis, aut Diœcesanæ, si Prælati Ordinarij, inprimis summus Pontifex, expressè aut tacitè contenti sint, & Cæsar actionem, prout iustè & rationabiliter solitus fuit, admittat. Quæ omnia in iusta defens. satis significata fuerunt, hoc adiecto: *Sin autem de iure contendere velint, & tanquam debita sibi Monasteria vindicare, Ita, &c.* Videri possunt, quæ in 1. cens. dixi, prope finem.

CENSVRA VI.

FOl. 115. in med. queritur Astrologus Baldi doctrinam *ab Opponente non esse fideliter adductam.* Quia 48.
verò causam nullam exprimit, cur malè sit allegatum Baldi Testimonium, primo statim aspectu apparet, nullam ipsi adhibendam fidem, vt tamen querela hæc, Baldi à me falsò allegati (quæ dudum, etiam antequã astrum inextinctum apparuit, contra me mota fuerat) penitus cesset, produco alium testem, & approbatorem eius, quod Baldus de hac ipsa re docuit. Is est Vdalricus Zasius in comment. super l. possessio §. municipes ff. de acqui possess. fol. meo 142. *Quid autem*, inquit, *si Collegium totum desinat, ne vna quidem persona manente? Hoc loco refert: quia aut Collegium desinit, & transfertur in aliud collegium, sicut Templarij sunt translati in Hospitalarios, vt dicit Baldus. Et tunc bona collegij transeũt*

cum ista translatione. Allegat Baldus c.1. Ne sede vacante. Aut Collegium definit, quia destituitur per Superiorem, & tunc bona Collegij sunt vacantia, deferuntur fisco. Baldus allegat c.cùm ex iniuncto, de operis noui nunciat. Aut Collegium definit per se, quod omnes personæ moriuntur. Et tunc si est Collegium seculare, bona apprehenduntur per Superiorem, & desinet possessio. Si autem est Collegium ecclesiasticum, tunc bona, vnà cum possessione, remanebunt penes Ecclesiam vniuersalem. Ita Baldus in dicta l. sicut, in fine.

45. Fol.113.n.35. distinctionem quandam affert Astrologus, quæ, si rectè declaretur, vera est, & traditur à Legistis nominatim à Bartolo, & Vdalrico Zasio in l. inter stipulantem, §. sacram, ff. de verb. obligat. Quòd Monasterium interdū accipitur pro Religiosorum materiali habitatione, iuribus ac priuilegijs suis affecta: Interdum verò pro Religiosis sacrū Collegium seu Congregationem constituentibus; iuxta c.1. & ibi DD. de elect. Eademque diuersitas est in voce *Ecclesiæ*, quæ vel accipitur pro materiali structura sacri loci: vel pro personis sacris Collegium, seu Congregationem efficientibus.

Pergit verò Aduersarius, aitque, cū in Iusta defensione dicitur, Monasteria, quorum Professi omnes mortui sunt, extincta esse, nomen *Monasterij* accipi priore, non posteriore modo: adeoque ex mente Laymanni, Wan das Kloster außgestorben ist (prout phrasi Germanica ad marginem notatur) si, inquam, Prælatus ac totus Conuentus morte sublati sint, non tàm titulos, sed & iura omnia ac priuilegia Monasterij, posteriore modo accepti, pro Claustralium habitatione, amitti: quandoquidem illud, secundum Iustæ defens. doctrinam, extinctum est: at verò *non entis nullæ sunt qualitates*, prout ipse retulit fol. suo 90.nu.161.

Hic autē, vt hominis fraudes clariùs appareant, profero eius verba cit. nu.35. *Videndum est quid sit, Monasterium esse extinctum. Et ipsum quidem Monasterium dupliciter accipitur. Primò, pro habitatione Claustralium, suis titulis affecta. Secundò, pro ipsis habitatoribus Religiosis.* Et paulò post: *Iam ergo mortuis omnibus de Collegio, verum est dicere, Monasterium esse extinctum, sumpto nomine Monasterij pro habitatorib. siue Monachis ipsis: omnes enim Monachi mortui sunt, & extincti. Verùm in præsenti materia, Monasterium in hac significatione non solet accipi, prout nec Opponentes taliter vsurpant. Est enim nobis sermo de Monasterijs restituendis, non de mortuis resuscitandis. Adeoque quæritur: An mortuis omnibus de Conuentu, Monasterium seu Ecclesia priùs titulis, fundationibus & iuribus Prælaturæ, Abbatiæ, Prioratus, &c. affecta, hosce titulos eo ipso mox omnes perdat, & omnia iura Collegialia quæ habebat. Noster Opponens affirmat, nullo tamen iuris vel authoritatis adminiculo subnixus.*

Ipse verò Astrologus negantem partem amplectitur: propterea quòd hæc Collegij dissolutio sit *facti*, non *Iuris*, vti declarat fol.114.nu.36. *Quo casu* (subiungit) *Monasteria non extincta, sed vacantia & desolata nominantur: retinent enim omnia sua iura, priuilegia, titulos,* 46.

titulos, vt iam demonstrabimus: secus si sint de iure dissoluta. Allegat deinde plurimas DD. auctoritates, quibus ostenditur, quod *dissoluto Collegio de facto, manent omnia iura & priuilegia.*

Vt fraus Astrologi, quam hoc in loco egregiè exercuit, deprehendatur, ante omnia animaduertenda est doctrina, quam tradunt IC. in allegata l. inter stipulantem, §. sacram, circa finem, quòd Iura Monasterij alteriusve sacri Collegij, alia sint *realia*, siue *localia*, quia censentur adhærere rei, seu loco, videl. ipsi materiali ecclesiæ, & fundo eius. Alia verò Iura *personalia*, non singulariter, sed *communiter*, quæ & *corporalia* appellari solent, quia corpori, seu Congregationi inesse censentur: Ideoque personis singulis deficientibus non extinguuntur, sed tum demum, si Congregatio, seu corpus Collegij deficiat. Quæ doctrina tradi solet in reg. iuris 7. in 6. & reg. ff. 68. & 156. & à Legistis in l. sicut, §. In Decurionibus, ff. Quod cuiusque Vniuers.

46 Porrò extra controuersiam etiam est, quòd spirituales tituli, qui ab Astrologo recensentur, v. g. Præposituræ, Abbatiæ, Prioratus, &c. Iura sint non realia, aut localia, sed personalia, eò quod fundata sint in spirituali sacrati hominis officio: Nō tamen sunt Iura singulariter, sed cōmuniter personalia, siue corporalia, quia censentur inesse ipsi sacræ Congregationis corpori: Eaque de causa, dum Collegij corpus manet, & ipsa permanent, etiamsi personæ singulæ, quibus hęc Iura ad tempus, vel ad vitam earum collata sunt, moriantur. Hoc enim casu dignitas Prælaturæ v. g. aliudve beneficium regulare, aut seculare, non vnà moritur, vel extinguitur, sed, dum possessore caret, apud corpus Ecclesiæ vacare dicitur, donec denuò alicui conferatur. Sin autem totum corpus Collegij siue Congregationis, adeoque Monasterium vel alia Collegiata Ecclesia (iuxta posteriorem, ex ijs quas initio huius cens. attuli, acceptionem) dissoluatur, v. g. per mortem omnium, ita vt nullus è Collegio supersit, tunc consequenter dicendum, quòd Præposituræ, Abbatiæ, Prioratus, &c. vnà soluantur & extinguantur.

At verò Iura & priuilegia realia, seu localia, quæ videl. ipsi loco directè atque immediatè competunt, in personas autem inibi congregatas indirectè redundant, ea non personarum siue singularum, siue congregatarum, naturam & conditionem sequuntur, neque ijs deficientibus pereunt; quandoquidem loco, siue Ecclesiæ, v. g. Monasterio, (secundùm priorem eius acceptionem) adhærere censentur, adeò quidem, vt tametsi Ecclesia, aut Monasterium penitus destructum sit, dummodo spes restaurationis supersit, maneant priuilegia, & ipsi solo inhærere fingantur, l. æde sacra 73. ff. de contrah. emptione, c. & hoc diximus 9. iun. Gl. ver. destructa, causa 16. q. 7. & c. Abbate in fine, iun. Gl. de verb. significatione, Innoc. in c. cum ex iniuncto,

de noui oper. nunc. & dixi suprà etiam p. 1. loco 7.

Animaduertit Aduersarius vim huius doctrinæ, atque ideo varijs artificijs eam occultare, atque Lectoris animum perturbare aggressus est, vti iam ostendam. Inprimis, perperam & inscitè alteram Monasterij, siue Ecclesiæ acceptionem Lectori proposuit in sensu non collectiuo, sed
45. diuiso, fol. 113. num. 35. Monasterij nomen *accipi pro ipsis habitatoribus Religiosis: sermonem non esse de mortuis resu-*
49. *scitandis.* Et fol. 16. nu. 40. *Titulos perseuerare, extinctis titularibus, in aperto est, & ostenditur in titulis vacantis Abbatiæ vel Præpositurae, prout ipse fatetur Opponens: Dignitas enim nunquam perit, nec moritur, indiuidua verò quotidiè pereunt. Gl. in c. quoniam 14. ver. substitutum, de offic. deleg.* Sed scire debuit Astrologus, nomen *Monasterij* aut *Ecclesiæ* collectiuum esse, & non posse significare Capitulares, aut Conuētuales in sensu diuiso, ac proinde nullam prorsus causam habuit, inter duas Monasterij, siue Ecclesiæ acceptiones, vnam referendi pro habitatoribus, siue titularibus, ob quorum mortem, tituli non pereunt, sed vacant, atque inde inferendi, quādo dixi, Monasterium, aut sacrum Collegium per mortem omnium extinctum esse, sermonem mihi fuisse, de habitatione Claustrali. Nam præter hæc duo, videl. materialem Ecclesiam, siue Monasterium, & ipsos Professos seu titulatos, quorum singulorum morte tituli vacant, & non pereunt, datur tertium, de quo ego locutus sum, videl. corpus Congregationis, quod si extinguatur morte omnium, tituli cessant, & extincti sunt.

Secundò eod. n. 35. inscitè & fraudulenter mihi tribuit, quod nomen Monasterij extincti vsurparim pro *habitatione Claustralium suis titulis affecta.* Falsum enim est, & nusquam à me indicatum, quòd spirituales tituli per se efficiant habitationem Claustralem, seu Monasterium materialiter acceptum.

Tertiò in eo fraudem, & quidem insigniter, committit, quòd, cùm falsum suæ deceptionis fundamentum struxisset: Nomen Monasterij extincti accepisse me *pro habitatione Claustrali, suis titulis affecta*, postea quæstionis statum non malè in eo consistere dicat: *An mortuis omnibus de Conuentu, Monasterium seu Ecclesia priùs titulis, fundationibus, & iuribus Prælaturæ, Abbatiæ, Prioratus affecta, hosce titulos mox omnes perdat, & omnia iura Collegialia quæ habebat. Noster Opponens affirmat.* Quibus verbis veritatem expressit, affirmasse me de fundatis titulis, ac iuribus Prælaturæ, &c. seu iuribus omnibus Collegialibus, consequēter corporalibus, non autem localibus, sicuti suprà explicaui. Cur itaq; antea dixerat, affirmasse me id de titulis seu iuribus habitationis claustralis? Et cur in seqq. numeris, quasi mihi contrarius sit, tantopere ostendit, Ecclesiæ materialis aut ciuitatis, si ea de facto destructa sit, iura & priuilegia permanere?

Quarta fraus in eo commissa est, quòd dissolutionē Collegij per mortem

tem

tem omnium, eo sensu appellet, *facti*, quasi non sit de iure; siue, quòd Collegium, eiusque spirituales tituli, spectato iure permaneant, quam æquiuocationem annotaui suprà pag. 1. loco 7.

50. Hic autem adscribam argumentationem fol. 116. in medio: *Mortuo Parocho rurali, non minùs vacant omnia iura parochialis Ecclesiæ, quàm mortuo Conuentu iura Monasterij: Atqui defuncto Parocho non extinguitur titulus beneficij: igitur neque mortuo Conuentu seu Collegio Monasterium.* Resp. disparem esse rationem, si parochia collegiata non sit. Cùm enim nullum in ea sit corpus Ecclesiæ, ideo titulus, per mortem Parochi, non in parochia, sed in Ecclesia diœcesana vacare censetur. At verò Ecclesia Monasterij collegiata est, in qua tituli existunt, eaque sublatâ, tolluntur.

51. Eod. fol. 116. nu. 42. indoctè loquitur: *Si propriè loqui velimus (vti debemus) Monasterium de iure vacat per solius Abbatis obitum, vel cessionem, c. Messana, c. ne pro defectu, de elect. Abb. in c. quia propter, & c. ne pro defectu n. 2. ibidem. Ideoque si totus Conuentus moriatur, Abbas autem non, vacare nō dicetur Monasterium: mortuo autem vicißim solo Abbate, vacat Monasterium de iure.*

Ad hoc dico, Astrologum iterum sophistam agere, nam Monasterium per mortem Abbatis dicitur vacare, non omnimodè & absolutè, sed cum addito, *vacans Pastore*, cit. c. Messana 61. id est, *viduata*, siue orbata Prælato, tanquam sponso suo, cit. c. ne pro defectu 41. vbi id bene declarat Abb. in allegato nu. 2. *Nota 3. Ibi, Ecclesia viduata, quòd Ecclesia carens Pastore dicitur vidua, cuius maritus mortuus est.* Et mox: Ecclesia *vacans capitur pro vidua.* Falsum quoque est, quòd mortuo toto Conuentu, si solus Prælatus supersit, Monasterium non vacet, tam de iure, quàm de facto, quod attinet ad titulos Conuentuales. Tametsi enim si Ecclesia regularis *numerata* non sit, per mortem singulorum è Conuentu tituli vacare non censeantur, tamen per mortem omnium, ideoque extinctionem totius Conuentus, necessariò dicendum, titulos vacare, & per nouam creationem conferri oportere. Videmus itaque, quàm multos passim errores inuoluat Astrologus, in quos ne Lector incidat, admonere operæ pretium est.

CENSVRA VII.

FOl. 118. nu. 45. hæc verba profert: 54.
Ait (Laymann Iustæ defens. pag. 267.) *soluto Collegio per mortem omnium, bona & iura eius esse vacantia, id est, extincta.* Et postea nu. 46. *Opponens passim affirmat, restituenda Monasteria, eorumque titulos & iura esse penitus extincta: Interdum esse vacantia, & quidem de iure. Nonnunquam simul coniungit vtrumque, afferens Monasteria esse extincta, & vacantia. Interdum similiter ait, bona huiusmodi Monasteriorum esse vacantia, vt hic: alibi fatetur, vacantium ecclesiarum bona ab Ecclesia poßideri. Quæ asserta inter se è diametro pugnant. Vnde respondens contraria est, & habetur suspectus de falsitate, vt ait Abb. in c. vt nostrum, vt ec-*

tief. beneficia sine diminut. possideantur, n.12. Et ex varietate responsionis præsumitur fraus, iuxta Alciat. tom. 4. reg. 2. præsumpt. 31.

Hic iterum Astrologus quæstionis statum, ac veritatem occultat, atque ea quæ in Iusta defensione tradita sunt, peruertere studet. Itaque breuissimè aperienda est veritas, iuxta ea quæ superiùs dicta sunt. Monasterium quandoque accipitur pro materiali loco & structura, & adhærentibus ei iuribus, priuilegijs ac immunitatibus: Quandoque autem accipitur pro corpore Congregationis regularis, cui spirituales tituli insunt. In casu itaque nostro, si omnes è Congregatione mortui sint, Monasterium (iuxta posteriorem acceptionem) & tituli eius extincti sunt, ac propriè loquendo non vacant: quia vacatio est iuris existentis, sed possessore vacantis. At verò in priore acceptione Monasteria, & iura eius ac priuilegia extincta non sunt, sed vacantia, quia possessore, ac domino carent. Pertinebat enim Monasterium cum iuribus suis ad Prælatum & Conuentum, qui, vti ponimus, omnes mortui sunt.

Nunc videamus, an veram & receptam doctrinam in Iusta defens. expresserim. Hanc rem ex instituto tractaui pag. 444. his verbis: *Si Prælatus, Canonicus, aut Monachus moriatur, eius titulus ac ius sustentationis vacat, ita vt apud Conuentum, Capitulum, seu Congregationem maneat, atque intra tempus à sacris Canonibus præscriptum, alteri conferatur, vel collatio, aut prouisio ad Superiorem deuoluatur. Sin autem tota Congregatio, seu Conuentus penitus cessarit, siue solutus sit, tum consequenter Prælaturæ, Administrationes, Officia, Canonia, Monachatus, &, vno verbo, iura, ac tituli extincti sunt, id est, penitus cessarunt. Ipsum verò Monasterium, seu Ecclesia materialis eius loci, vnà cum omnibus adhærentibus iuribus ac bonis, inter bona vacantia numeratur, quia ad neminem pertinent seu personam, seu Congregationem, sed est DEI, Christi, & Ecclesiæ quoad dominium, at verò quoad gubernationem, spectat ad Prælatos Ecclesiæ, principaliter ad Roman. Pontificem, saluis interim iuribus & obligationibus realibus, quæ seculari potestati competunt.*

Ex his apparet, cur Monasteria, de quibus inter nos controuersia fuit, interdum appellarim *extincta*, & interdum *vacantia*, & quandoque vtrumque vocabulum coniunxerim, *extincta & vacantia*. Quà enim accipiuntur pro materiali structura vnà cum iuribus realibus seu localibus, vacantia sunt: quà autem accipiuntur pro sacra Congregatione & spiritualibus titulis, extincta sunt. Quamobrem cùm vel de ipsis iuribus ac bonis realibus, vel de spiritualibus titulis sermo fuit, data opera passim in toto libro Iustæ defens. ea vsus sum distinctione, quòd illa dixerim vacantia, titulos autem extinctos. Statim in procem. nu. 24. circa principalem quæstionem, retuli Aduersariorum assertionem; *Monasteriorum titulos extinctos non esse, nec bona eorum ecclesiastica vacantia, sed pertinere ad antiquorum Ordinum, quibus olim dicata*

cata

cata erant, Religiosos. Et num. 37. *Responderunt* Romani Iureconsulti, *Dominis Abbatibus, ac Monachis seu Regularibus, qui nunc viuunt, nullum ius actionemq; ad Monasteria ista, quippe quorum tituli extincti, & bona ecclesiastica vacantia sint, competere.* Et fol. 7. *Bona immobilia & census, secundùm benignam iuris fictionem, censentur pertinere ad locum, seu Monasterium, & ecclesiam materialem, cuius tituli extincti.* Atque ita deinceps sæpe locutus sum, vt manifestè appareret discrimen inter iura & bona vacantia, & titulos extinctos.

Falsum itaque est, quod insinuauit Aduersarius, *vacare & extinctum esse* pro ijsdem me accepisse: tametsi vtrumque vocabulum Monasterio adiunxerim, sed secundùm geminam eius acceptionem. Falsum quoque est, me varia & contraria docuisse, cùm rei veritatem sæpenumero, atque consentienter declararim.

Vnicus locus Iustæ defens. pag. 270. scrupulum habet, quia dictum ibi fuit: *Monasterium, omnibus Professis emortuis, extinctum est, ideoque secundùm receptissimam doctrinam, eius iura ac tituli vacant, & nemini de iure debentur.* Hunc locum tametsi faterer aliquantò obscuriorem esse, non ideo tamen per ea verba obiter prolata, euerti deberent quæ alibi, videl. p. 444. ex instituto clarissimè explicaui, eandemque explicationem passim indicaui, atque retinui?

Veruntamen plus dabo Aduersario, quàm à me forrasse expectat. Aio itaque, nō incongruè dici posse, quòd in casu nostro, si omnes Monasterij Professi mortui sint, tituli aliquo modo vacant. Quia licet actu & simpliciter extincti sint vnà cum sacra Congregatione, tamen quodammodo manent, videl. potentia, quia proxima spes est, vt resuscitentur, ac reuiuiscant: Et ideo veluti dormit Collegium, ipsiusque tituli, quia resurgent & reparabuntur, idque ex debito officij, saltem si loquamur de Prelatis Papa inferioribus, imò ex quadam æquitate, etiam ab ipso Rom. Pontifice. Hic tamen non disputo, an restitutio ac reparatio fieri necessariò debeat per eiusdem Ordinis Religiosos, sed de hoc infra aliquid afferam cens. 38.

Dicet aliquis: Si Corpus sacri Collegij post mortem omnium, eiusque tituli potentia, ac veluti habitu manent, & quasi dormiunt, eaque ratione dici possunt vacare, consequens hinc esse, quod Collegium, siue Monasterium acceptum pro sacra Congregatione, eiusque tituli non sint extincta. Respondeo: Non ita verè ac propriè esse extinctum Monasterium cum titulis suis, considerata spe nouæ ordinationis, quàm si per sententiam extinctum esset, attamen absolutè loquendo, rectè dici, & esse Monasterium, titulosque eius extinctos: quandoquidem magis propriè res sortitur appellationem ab eo quod est actu, quàm quod est potentia. Exemplum simile est apud S. Ioann. cap. 11. v. 11. vbi dixit Christus ad discipulos suos: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum.*

eum. Sed quia figuratè locutus fuerat Dominus, discipuli autem propriè accipiebant *de dormitione somni: Tunc ergo* I E S V S *dixit eis manifestè. Lazarus mortuus est,* v. 14. Videri etiam possunt quæ dixi p. 1. loco 1.

CENSVRA VIII.

57. FOl. 120. nu. 51. hæc habet: *Ad authoritatem Bartoli l. vlt. num. 22. ff. de Colleg. illicitis, & Panormit. quod attinet, dicimus eos ambos loqui de Collegio iure dissoluto, vt patet vtrobique ex allato Templariorum exemplo, quorum Collegium iure fuit destructum. Et Abbatem quidem pro nobis stare, fusè docuimus hucusque. Iam etiam Bartolum adducamus, qui l. 1. §. Municipes, ff. de acquir. possess. num. 4. Quæro, inquit, si moriuntur omnes de Collegio, an possessio vacet? In Collegio seculari dic, quòd sic, vti notaui suprà, tit. Quod cuiusque Vniuersitatis, l. sicut. Sed in Collegio Ecclesiæ, videtur quòd non, quia, ipsa Ecclesia possidet, Cod. de SS. Ecclesijs, l. Iubemus, in fine, expressiùs de Episcop. & Clericis, l. Raptores, §. Sin & Diaconissa, ibi, & plenam possessionem, &c. Ideo dicit Innoc. quòd res Ecclesiæ possidet Christus, vel vniuersalis Ecclesia, hoc est, congregatio fidelium, vt extra, de restitut. spoliator. c. super electione: Et in hoc stemus eis. Hæc Bartolus, nostram sententiam de possessione non vacante solidè confirmans. Ad alterum Bartoli locum ex l. sicut adductum, dicimus non apparere, quid contra nos inferat, quandoquidem ibi respondet ad quæstionem, quid si nullus remansit? & ait, de proprietate seu dominio vero immediato, rerum Ecclesiæ vacantis, quòd videlicet huiusmodi proprietas vacat, sicut hæreditas (quæ duo verba ex Bartolo omisit Opponens) & hoc verum est: quia licet Ordo religiosus, vel Ecclesia vniuersalis, vel ipsi Christus retineat dominium eiusmodi rerum Ecclesiæ, illud tamen est dominium altum & subalternum. Dominium autem immediatum respectu intitulati vacat, & successor illud habebit velut hæres. Atque in hoc sensu venit etiam explicanda Gl. apud Opponentem fol. 3. quamuis secundùm Baldum, Abbatem, & alios, per iuris intellectum dicatur etiam proprietas, sicut & possessio remanere penes Ecclesiam particularem viduam. Quod Bartolus non negat. De possessione verò bonorum huiusmodi, si est Collegium Clericorum (pergit ibidem Bartol.) Tunc dicit Innoc. quòd possidet Christus, vel Ecclesia vniuersalis. Et sic iterum nihil contra nos concluditur, quod enim possidetur, simpliciter vacare non dicitur.*

Et fol. 121. nu. 52. *Potest etiam explicari Bartolus locis supra citatis, & alij cùm dicunt, quòd bona dissolutorum Monasteriorum maneant apud Superiorem, subintelligi, velut in custodia, iuxta Gl c. præsenti, de offic. Ordinarij in 6. ver. custodiam, & ver. reseruari. Et quod pertinebunt ad illud Collegium, eiusdem Ordinis, quod Superior loco prioris instaurauerit, l. sicut, §. in Decurionibus.* 58.

Et n. 53. *Illustrißimi, & Eminentißimi Cardinalis Barbarini epistola data mense Ianuar. 1630. die 24. Romæ ad Illustrißimum pariter & Eminentißimum Cardinalem Ballotum in Germania degentem, sicuti & Franciscus Ripa in l. quo minus nu. 107. ff. de fluminibus, contra nostram sententiam sese non opponnnt, cùm ambo loquantur*

loquantur de Monasterijs destructis, vtique sine spe restaurationis, vel de iure destructis ac dissolutis: In Germania verò nostra constat ex prædictis & dicendis, huiusmodi Monasteria non esse de iure dissoluta, adeoque nec extincta.

58. Et nu. 54. eod. fol. 121. *Præterea Nauarrus nobis aduersari non potest, cùm referat auctoritatem Clem. VIII. de qua suprà.* Reliqua verba huius num. referam prope finem huius censuræ.

Clarissima ea Doctorum testimonia, à me q. 1. præambula, pag. . & seqq. prolata, mauult Astrologus peruertere, quàm veritatem fateri. Et ideo effugia & interpretationes nimis friuolas, contra apertos textus comminiscitur. PRIMO itaque ait, Bartolum in l. vlt. n. 22. ff. de Collegijs illicitis, & Panorm. in c. recolentes, n. 3. de statu Monachorum loqui de Collegijs per Superioris sententiam solutis, non item solutis facto, videl. per mortem omnium: Hoc enim posterius membrum licet non exprimat Aduersarius, tamen subintelligi vult.

Ostendamus itaque, referendo textus, quòd Bartolus, eumque secutus Panormitanus, de vtraque solutione locuti fuerint: ac proinde Astrologi responsio falsitatis conuincatur. *Quæro*, inquit loco cit. Bartolus, *qualiter Collegia dissoluantur. Resp. Quædam est dissolutio, quæ fit omnibus de Collegio volentibus, vt suprà ead. l. 1. vel omnibus mortuis, nullo remanente, vt l. sicut, suprà. Quod cuiusque Vniuers. Quædam est dissolutio inuita, quæ fit mandato Superioris propter aliquod delictum Collegiatorum, vt puta, si prætextu Collegij liciti committant illicita. Quæro, quid fiet de rebus Collegij, dissoluto Collegio? Resp. Quædam sunt Collegia, quæ possunt habere in communi, & nihil in particulari, vt Collegia Religiosorum: & in istis dissoluto Collegio, remanente bona apud Superiorem, vel cui ipse concesserit: Et ita fuit obseruatum, quando fuit destructum Collegium Templariorum per summum Pontificem: sunt enim bona vacantia, & sic debentur fisco, l. 1. C. de bonis vacantibus, & l. 1 ff. de iure fisci. Quædam sunt Collegia, quæ possunt habere aliquid in particulari, & in communi. Et hîc est aduertendum: Quia quædam sunt Collegia, quæ habent aliquid in remunerationem laborum, vt Collegium vnius Ecclesiæ: habent enim propter officium & laborem, quem sustinent pro ciuibus & parochianis: Et tunc dissoluto Collegio, siue in totum, siue quoad vnum recedentem, bona eorũ non consequuntur, sed remanent apud ipsum Collegium, vel eo in totum destituto, remanent apud Superiorem: cessante enim labore, cessare debet præmium. Quædam sunt Collegia, quæ habent aliquid non propter se, sed vt distribuant inter alios, vt Collegium misericordiæ, &c. & tunc etiam destructo Collegio, non remanet apud eos, &c.*

Nónne ex toto hoc discursu, & partium enumeratione, manifestè liquet, Bartolum de omni Collegij dissolutione, & quidem vel maximè de ea locutum fuisse, quæ est facti per mortem omnium è Collegio, atque apertè dixisse, si Religiosorum Collegia soluta sint, bona eorum remanere apud Superiorem, vel cui ipse concesserit. Neq; refert, quòd Bartolus,

lus, eumque secutus Panormitanus, exemplum de Templarijs attulerint. Notum enim est apud doctos, quòd *exemplum speciale non restringit regulam generalem, cui apponitur.*

Audiamus iam Abb. Panormitan. in c. recolentes n. 2. & 3. de statu Monachorum. *Dicit Vincent. & Ioan. Andr. si collegium dissolueretur, bona aequaliter diuiderentur inter illos collegiatos, causa 18. q. 2. c. in nullo: sed, si collegio remanēte, aliquis inde exiret, solùm repetit ea, quae secum portauit. Sed certè haec dicta simpliciter intellecta sunt falsa: Nam cùm Regulares non possint possidere bona in particulari, non possunt cōsequi partem collegij, eo dissoluto, maximè, quia talia bona non tribuuntur ad vtilitatem singulorum. Et ideò distingue latiùs, assumendo aliqua dicta Bartoli in l. fin. ff. de illic. collegijs. Nam quaedam sunt Collegia, quae non possunt bona possidere in particulari, vt Religiosorum: Et in illis bona remanent apud Superiorem Collegij, qui disponet de illis, tanquā de bonis vacantibus, argum. l. 1. ff. de curat. bon. dand. Et sic aliàs seruatum fuit in dissolutione Collegij Templariorum.* Nónne itidem clarè apparet, Panormitanum loqui de omni collegiorum dissolutione, siue ea sit facti, siue per sententiam, licet exemplum, cum Bartolo, afferat de Templarijs.

SECVNDO respondet Aduersarius, se suprà docuisse, Abbatem pro ipso stare: Sed nihil prorsus docuit. Neque item locus ille Bartoli super l. 1. §. Municipes, ff. de acquir. possess. pro ipso stat: Duo enim docet ibi Bartolus: I. Quod mortuis omnibus è Collegio ecclesiastico, ipsa Ecclesia (materialis) bona & iura sua possidet. Quae doctrina à me cùm in Iusta defens. pag. 7. tum in superioribus censuris tradita est. II. Quòd in hoc casu res Ecclesiae possidet Christus, vel Ecclesia vniuersalis, hoc est, congregatio Fidelium. Quaeso te, Cur omnibus è Collegio, vel Monasterio mortuis, non dixit res eius possidere Ordinē Clericorum, aut Monachorum, sed Christum & Ecclesiam vniuersalem, nisi, quia bona vacantia sunt, deuoluta ad dispositionē supremi Ecclesiae Pastoris, Papae? Nihilominus audet dicere Astrologus, sententiam suam de dominio ac possessione non vacante solidè confirmari à Bartolo.

TERTIO ait; Non apparere, quid ex Bartolo super allegata l. sicut, inferatur. Ad hoc dico, nihil aliud inde inferri, nisi quod ipse ibi tradidit: Si nullus è Collegio remansit, bona illius vacantia esse, secundùm proprietatem pertinere ad fiscum, si sint ab eo agnita, postea pertinere ad Collegium quod Superior restaurabit loco illius: Possessionem verò eorundem vacantium bonorum, si Collegium, quod destructum est, Clericorum fuerat, esse penes Christum & Ecclesiam vniuersalem, prout pleniùs se tradidisse refert in l. 1. §. Municipes ff. de acquir. possess.

Ait porrò Astrologus, me duo verba *sicut haereditas*, in allegatione Bartoli omisisse. Sed cur ea verba referrem, cùm nihil causae vel demant, vel addant? Praesertim, cùm statim

nullo verbo interiecto, addiderim. *Eandem doctrinam tradi à Gl. in cit. l. sicuti, §. In decurionibus: Si nullus omnino remansit, solutum est Collegium, & res in nullius bonis sunt, sicut & hæreditaria: Sed tamen, si auctoritate Domini Papæ, vel eius, ad quem spectat cura eiusdem Collegij, instituatur aliquis in eodem Collegio, iuris artificio fingitur illius fuisse.* Similitudo itaq; in eo consistit, quod, sicuti iacente hæreditate, res hæreditariæ vacant, siue in nullius dominio sunt, donec hæreditatem adierit hæres: ab eo autem, quo adierit, tempore, res censentur illius esse: Ita soluto Collegio per mortem omnium, res Collegij vacăt, & in nullius bonis sunt, pertinentes ad fiscum ac dispositionem Ecclesiæ: Sin autem aliquis instituatur, iuris artificio cēsentur ipsius fuisse. Cæterùm similitudo hæc hæredis ac rei hæreditariæ, non est omni ex parte accipiēda, cùm certum sit, licet Astrologus sæpe aliter insinuet, res & iura sacri Collegij dissoluti, ad alios non deferri iure hæreditariæ successionis, sed voluntariæ institutionis, per eum cui hæc cura incumbit, vti ead. Gl. disertè explicauit.

Mirum autem non est, quòd verba eiusdem Gloss. tacitus prætericrit Astrologus, quia nimis ei displicebant: siquidem præter ea, quæ superiùs recensui verba, etiam alia adijcit: Quòd *bona, ab eo tempore, quo solutum est Collegium, ipso iure sint fisco, vel Papæ quæsita.*

QVARTO, licet verba Gl. tanquā nimis eius oculos perstringentia, ponere ausus non fuerit, tamen verbo tenus allegando Glossam, ait, ita intelligendam esse, sicuti & Bartoli doctrinam: Res Collegij soluti vacare quoad dominium immediatum, non autem quoad dominium altum, & subalternum, aliaque suprà allegato n. 51. quasi explicaturus adfert, re ipsa tamen aliud non agit, quàm vt rem inuoluat, atque Lectorem à veri intellectu abducat.

Sed vt res ista clarescat, pro certo & confesso habeo. I. Rem dici vacare, quatenus possessore, ac domino caret, prout ipsemet Aduersarius passim explicat. II. Dissoluto sacro Collegio, Ecclesiam materialem cum bonis ac iuribus suis, non vacare comparatione Ecclesiæ vniuersalis, quippe cui dominium (quod ipsi altum & subaltetnum appellare placuit) ac possessionem disertè tribuit Astrologus. III. Ipsemet fatetur, Ecclesiam vnà cum rebus ac iuribus suis vacare comparatione dominij immediati, adeoque domino (similiterque possessore) carere. Quæro itaque iam, quis sit iste dominus ac possessor immediatus? Annè intitulatus quilibet, siue sigillatim? nequaquam: quia Ecclesia & res eius non pertinent iure dominij, aut possessione, ad singulos: Sed Ecclesia, siue Monasterium, vnà cum rebus, iuribus, & priuilegijs suis, pertinet ad corpus Congregationis siue Collegij, tanquam ad immediatum dominum & possessorem. Cùm itaque confessus fuerit, soluto Collegio per mortem omnium, Ecclesiam siue Monasterium cum rebus suis vacare,

quia domino ac possessore immediato caret, nónne veritatem vel inuitus expressit?

Veruntamen, quia alia quoque immiscet Astrologus, de singulis breuiter dicam quid sentiendum sit: Inprimis ait cit. n. 51. quod secundùm quosdam, *proprietas & possessio per iuris intellectum dicatur remanere penes Ecclesiam particularem viduam.* Resp. Verum esse, quòd mortuo Prælato, proprietas & possessio rerum, & quidem re ipsa non tantum secũdum iuris intellectum, maneat penes Ecclesiam siue Congregationem viduatam: Sin autem tota Congregatio mortua sit, quomodo apud eam manebit?

Deinde ait, cùm Bartolus & alij dicunt, bona dissolutorum Monasteriorum remanere apud Superiorem, intelligi posse quoad custodiam, citatque Glos. in c. præsenti, de offic. ordin. in 6. Sed nihil ad rem, quia sermo ibi est de Ecclesia Pastore vacante, ita vt permaneat Conuentus. Bartoli autem & aliorum Doctorũ verba longè aliud, quàm custodiam significant cum dicant: *Dissoluto Collegio, remanent bona apud Superiorem, vel cui ipse concesserit: Qui disponet de illis*, ait Abbas suprà allegatus, *tanquam de bonis vacantibus.*

Pręterea dicit Astrologus, nomine fisci, ad quem iuxta DD. res soluti Collegij deuoluantur, fortassè intelligi Ecclesiam particularem, quæ etiam fiscum habere dicitur. Resp. Inane esse effugium: Quia allegati Doctores expressè aiunt, bona deuolui ad Superiorem, sicuti bona vacantia, imò aliqui expressè aiunt, pertinere ad Ecclesiam vniuersalem, vel ad Papam, videl. secundùm liberam eius dispositionem. Accedit, quòd nomine fisci absolutè pronunciati, intelligi debeat fiscus principalis, non qui alicuius particularis Ecclesię seu Monasterij est. Vlteriùs, ita contra hominẽ ratiocinor: Si particularis Collegiata vel Conuentualis Ecclesia fiscum habet, tanquam ius siue rem sibi adhærentem, at verò dissoluto Collegio siue sacra Congregatione, Ecclesia particularis vnà cũ iuribus suis vacat, siue domino ac possessore immediato caret, vt suprà explicatum: sequitur, quòd etiam fiscus eius Ecclesiæ vacet, & ad Superioris dispositionem pertineat.

Denique fol. 124. n. 61. aliam theoriam affert, per quam, si vera esset, ex nodis istis se extricare posset. Ait enim, *quatenus vnumquodque Monasterium (nomine Monasterij communitatem ipsam intelligendo cum suo capite) pars est & membrum totius Ordinis, dominium bonorum, omnium Monasteriorum est penes totum Ordinem, bona totius Ordinis penes Ecclesiam.* Et suprà n. 60. dixit: *Fundator bona sua in eos* (Monachos) *transtulit immediatè, in quantum erant Monachi, siue membra huius, illius ve regulæ vel Ordinis, provt erga quemlibet Ordinem se inspirari, vel affici sensit: Et sic Monasterium cum omnibus bonis suis incorporatum est, vt loquitur Opponens.* 64

Ad hæc dico I. Si ita est, vti explicauit Astrologus, quæ obsecro, causa est, cur Bartolus, & ipsemet, S. Benedicti Ordinis Abb. Panormitanus,

nis, non dixerint bona Monasterij dissoluti, proximè deuolui ad Ordinem, cùm tamen res ista explicatu facillima fuisset? Cur Innoc. Bartolus, eiusque doctrinam approbando Abbas Benedictinus, & alij, transiliēdo Ordinem, statim ad Ecclesiam vniuersalem, ad Papam bona hæc vacantia transtulerunt?

II. Dico, Ordinem totum S. Benedicti non constituere vnius Ecclesiæ corpus: quia omnis Ecclesia, vt vna sit, Caput vnum habere debet: Ordo autem S. Benedicti non habet vnum Caput. Qua de re suprà etiam egi p. 1. loco 7.

III. Dico, Fundatorem bona sua legasse, aut destinasse ad constructionem Ecclesiæ, seu Monasterij Ordinis, v.g. S. Benedicti in ordine ad certum locum, Prælatum, & Conuentum loci, atque vno verbo, sicuti institutio, ac veluti natura Ordinis admittit, & sacri Canones disponere solent: præterquam, si fundator aliud specificè in fundatione expresserit. Sed de hac re paulò post cens. 10.

Quando autem Astrologus me quoque suæ doctrinæ adstipulantem adducit, quia Iustæ defens. pag. 362. hæc verba legantur: *Concordatū Germaniæ non repugnaturum, si aliqua ex ijs Monasterijs* vacantibus *Societati incorporentur*, sophisticè agit, ea quæ particulatim de Societate nostra dixi, ad Monachorum Ordinem transferendo: Cùm manifestum sit, in Societate nostra membra eius omnia sub vno generali Capite constituta & gubernata, vnius Ecclesiæ corpus constituere. Id autem de Monasterij Ordinis S. Benedicti Astrologus non ostendit, neque vnquam ostendere poterit. Videat Lector suprà p. 1. loco 6.

QVINTO quòd attinet ad responsum Eminentiss. S. R. E. Cardinalis, Barberini & Franc. Ripæ, nimis pueriliter existimat, loqui eos de Monasterijs destructis, sine spe restaurationis, vel de iure (intellige per sententiam) destructis: Imò vtrumque illorum tùm iuris, tum facti ignorantiæ arguit. Tam enim Cardinalis, quàm Ripa loquuntur expressè de Monasterijs Germaniæ, quæ ab hæreticis occupata sunt. Errassent autem in iure, si existimassent, Monasteriorum iura, tanquam spes omnis restaurationis amissa sit, mutata & inuersa esse. Errassent etiam in facto, & quidem grauissimè, si ea de iure, vt ipse loquitur, id est, per Principis auctoritatem extincta esse, opinati fuissent. Sed, vt vesania Astrologi magis deprehendatur, placet vtriusque verba adijcere. Illustriss. & Eminentiss. Cardinalis Barberinus hæc scripsit: *Adde, quòd non sit vllus, cui debeat fieri restitutio, cùm Monasteria sint destructa: Monachi omnes extincti: locus itaque dandus est auctoritati supremæ Vicarij Christi in hac bonorum* (ab hæreticis recuperandorum) *dispositione, & applicatione ad maius DEI obsequium.* Franciscus Ripa ita scripsit: *Destructo Monasterio, vt nunc (proh dolor) euenit in Alemania, propter hæresin Lutheranam, amittūtur iura Monasterij, & bona applicantur Superiori, tanquam vacantia, & sic Papa.*

SEXTO, Nauarri doctrinam de spolijs §. 10. num. 5. sibi aduersari non posse arbitratur, *cùm* (vt suprà etiam dixerat) *referat auctoritatem Clementis VIII.* Attamen Mart. Nauarrus mortuus fuit, antequam Clemens VIII. Pontifex esset, quomodo itaque eius Pontificis auctoritatem, atq; indultum referre potuit? Vbique igitur non tantùm malitia, sed & inscitia Aduersarij deprehenditur. *Neque negat,* pergit Astrologus, *alios esse substituendos in locum demortuorum*: Sed quid id ad rem, cùm de hoc non agatur? *Sed vult solummodo dicere, bona huiusmodi ecclesiastica, destituta Catholicis administratoribus, pertinere ad solicitudinem & administrationem suæ Sanctitatis, id est, vt prouideat ea restitui, & canonicè, mediatè vel immediatè, prouideri: Neque enim de fisco Pontificis vlla fit mentio.*

Sed longè aliud, & plus, quàm existimat, significant verba Nauarri. *Subinfertur, bonorum ecclesiasticorum & fructuum eorum, quæ nunc inueniuntur in Anglia & Germania, destituta Catholicis Administratoribus, pertinere ad sacrosanctam eius Maiestatem: quoniam certum est, illa non deberi nunc alicui per concessionem eius immediatam, vel mediatam, cùm palam sit, carere illa hæreticos, qui malè possident. Ex quo infertur, fœlic. recordat. Pium V.* (non Clementem VIII.) *rectè nuper quibusdam nobilibus Anglis indulsisse potestatem, certis modis limitatam & oneratam, administrandi bona quædam ecclesiastica per eos possessa, pertinentia iure antiquo ad Abbatiam, Prælato & Conuentu carentem, donec eos habere inciperet.* Viden' I. quòd dixerit, bona ea Ecclesiastica, cũ nemini modo legitimo competant, aut concessa sint, pertinere ad sacrosanctã Maiestatem Papæ, videl. secundùm liberam eius dispositionem. Viden' II. quòd dixerit, potestatẽ administrandi bona illa Abbatiæ, Prælato & Cõuentu carentis, rectè nobilibus quibusdam Anglis fuisse concessam. Id verò non ita dixisset Nauarrus, quippe iurium Regularium defensor egregius, si Ordini ad eam vacantem Abbatiam, ius aliquod competere existimasset.

Ineptè quoq; obijcit Aduersarius, *nullam de fisco Pontificis mentionem fecisse Nauarrum.* Cùm rem ipsam satis declarauerit, & longè verius, quàm si de fisco Papæ locutus fuisset. Etenim, propriè loquendo, bona Monasteriorum vacantium, ad Ecclesiam Christi pertinent secundùm dominium, at verò secundùm administrationem & ordinationem ad Papam, aliosque Episcopos (si Monasteria exempta non sint) saluis Patronorum & Aduocatorum iuribus.

Ex his itaque intelliget Lector, quàm malè Aduersarij causa atq; intentio fundata sit, cùm ad testimonia Doctorum, quæ circa principalem quæstionem contra ipsum producta sunt, tam friuolas responsiones, ac interpretationes fingere debuerit: Ipse verò ne vnicum quidem Doctorem classicum in fauorem causæ suæ producere potuerit, qui diceret, bona Monasteriorum eiusmodi, quorum Professi omnes mortui sunt, vacantia

non

non eſſe, vel ad Ord. S. Benedicti, & Prælatorum eius dominium, aut diſpoſitionem pertinere.

De Romanis verò Aduocatis, qui ante ſex, vt ille ait, annos conſilia miſerunt, ſolicitus eſſe non debeo: quãdoquidem hæc ſcripſit Aduerſarius
59.n.54. fol.122.princ. *Chriſtophori Ronconij, & alterius Iureconſulti Romani ſententiam* (in Iuſta defenſ. pag. 5. productam) *reijcimus tanquam à iure communi exorbitantem. Accedit, quòd Doctorum antiquorum iudicio potiùs ſtandum ſit, quàm iuniorum: Præterea ad Aduocatum non pertinet, vt ipſe fatetur Opponens*, nu. 62. procem. *Iudicis partes aſſumere, & ſententiam definire.* Veruntamen ex verbis ijs, quæ tanquam Roman. quatuor Aduocatorum ſint, (neſcio quàm fideliter) allegauit Aſtrologus, non ſatis eorum ſententiam de his vacantibus Monaſterijs colligere potui.

CENSVRA IX.

61. FOl.123 num.58. ſcribit Aduerſarius. *Licet Opponens pag. 319. Iuſtæ defenſ. & alibi, dicat Ordini indeterminatè non eſſe fundationem factam, res tamen adeò certa & clara eſt, vt ipſemet veritatem, vſitatiſſima & veriſſima phraſi loquendi, vitare non potuerit. Nam fol. 495. Negantne Ieſuitæ*, inquit, *aut vllus alius Catholicus, fundationes factas Ordini S. Benedicti, ad animarum ſalutem, diuini cultus & Catholicæ Religionis augmentum pertinere?* Et paulò poſt refert Aſtrologus, *quòd Comes Adelbertus Monaſterium Hirſaugienſe reſtaurauit pro Fratribus ſub regula S. Benedicti ibi procurandis. Et ipſum locum Hirſaugium, cùm omnibus pertinentijs, ex toto, ſuper altare S. Aurelij delegauit, & contradidit Domino Deo, & S. Benedicto in poteſtatem, & proprietatem, &c. Vt nimirum huiuſmodi proprietas, quæ* (interpretatur Aſtrologus) *nihil aliud ſit, quàm dominium rei iuſtis modis quæſitum. Hoſt. in ſumma de cauſis propriet. num. 1. poſt Deum, reſideat penes S. Benedictum, ſeu Caput Ordinis & familiæ, & conſequenter penes filios, ſiue Ordinem ipſum, veluti hæredem patrimonij S. Benedicti: nam ſi filij, & hæredes, vt ait Apoſt. Gal. 4.*

Multa hic inuoluuntur, quæ diſtinguere oportet, & rem clarè explicare: Inprimis verò diſcernere debemus inter fundationis diſpoſitionem, & fundationis executionem. Et ideo dico I. Ordini S. Benedicti generatim ac indeterminatè fieri poteſt legati, teſtamenti, aut fundationis alicuius diſpoſitio: ſicuti & Clero, aut Ordini Sacerdotali generatim legari, aut teſtamento relinqui poteſt, vt ijs, exempli gratia, Eccleſia & ſacrum Collegium ędificetur, ac dotetur. Hoc in caſu tametſi fundationis diſpoſitio & obligatio extendat ſe, confusè & indeterminatè, ad omnes S. Benedicti Religioſos, aut omnes Clericos, ſeu Sacerdotes, tamen per executionem erga aliquos, extinguitur omnis obligatio. Quemadmodum hoc ipſum in promiſſione alternatiua euenit, vt ſi Teſtator iuſſerit dotem dari vni ex quinq; ſororibus pauperibus, erga omnes alternatiua orta eſt obligatio, ſed ſi vni earũ dos data fuerit, alijs nihil debetur.

Itaque

Itaque ſi fundator v. g. præceperit, Ordinem S. Benedicti, ſiue, quod idē eſt, Religioſos S. Benedicti in ciuitate, aut oppido ſuo conſtitui, Eccleſiam & Monaſteriū eius fundari, conſtrui & dotari, erga omnes indeterminatè obligatio exorta eſt, ea tamen penitus extinguetur, poſteaquam per inſtitutionem aliquorum, iuxta fundatoris voluntatem, executio facta fuerit. Videri poteſt pro huius doctrinæ intellectu Vdalr. Zaſius in l. ſtipulationum, nu. 44. ff. de verb. obligationibus, & quod traditur in l. Mæuius 66. §. Eademque ratio, ff. de legat. 2.

Dico II. Rectè me docuiſſe pag. 319. Iuſtæ defenſ. aſſert. 3. *Ordini indeterminatè non eſſe factam fundationem, neque traditam poſſeſsionem rerum Monaſterij, ſed Monachis & Profeſsis eius.* Id enim dixi ſecundùm fundationis executionem, per quam, vt ſuprà explicaui, erga quoſdam facta executione, traditaque eis rerum poſſeſsione, obligatio extincta fuit, vt alijs eiuſdem Ordinis Religioſis nullum ius, actioque competere poſsit.

Aduertendum inſuper eſt: Licet vocabula iſta *Clerus*, *Ordo ſacerdotalis*, *Ordo S. Benedicti* indeterminatè accepta, ſignificent omnes Clericos, Sacerdotes, aut S. Benedicti Religioſos, frequenter tamen determinari ad vnius Congregationis ſeu Collegij Corpus: Vt ſi Clero Eccleſiæ S. Rochi in certa ciuitate, legatum quippiam ſit, intelligendi ſunt Clerici eius Eccleſiæ: ſimiliterque, ſi Ordini, aut Religioni S. Benedicti huius Monaſterij legatum ſit, intelligetur particularis ea Religioſorum Congregatio. Etenim nomen *Religionis* ita interdum accipi, vt particularem aliquam Religioſorum Congregationem, Collegium, aut Conuentum ſignificet, dicam infrà cenſ. 12. De nomine *Ordinis* id ipſum colligitur ex Bullis Pontificum, ab Aduerſario adductis fol. 132. nu. 83. ex append. Iuſtæ defenſ. pag. 37. vbi Clemens VIII. in 75.
translatione Monaſterij Eberſperg ad Societatem IESV ait, ſe *Ordinem S. Benedicti & omnem illius ſtatum, & eſſentiam ac dependentiam regulares, auctoritate Apoſtolica ſupprimere & extinguere.* Et in altera Bulla ex pag. 35. eiuſdem Append. vbi Innoc. VIII. in translatione Monaſterij Bruel ad PP. Carthuſianos, mandat quibuſdam, *vt Abbatialem dignitatem, ac nomen, & titulum, Ordinemque, prædicta auctoritate, penitus ſupprimant, & extinguant.* Nihil enim aliud ſignificatur, quàm regulares titulos, ſtatum, ordinem, ac regulam S. Benedicti huius loci, Monaſterij ac Congregationis, extincta eſſe.

Reperitur quandoque in fundatione decretum à Fundatore, vt v. g. *Ordo S. Benedicti perpetuis temporibus* in conſtructo Monaſterio *permaneat*, idque ſub anathematis, & execrationis comminatione, ſi quiſpiam contrauenire auſus fuerit. Iuſta hæc lex atq; decretum, ſenſuſque eius eſt, vt huius Ordinis ac Regulæ Profeſsi non depellantur, ſed iuribus ſuis in perpetuū gaudere ac frui ſinantur. Quo cum tamen non pugnat, quo minus per volun-

voluntariam cessionem, aut mortem omnium è Collegio, aut per iustam Superioris sententiam, Congregatio seu Ordo particularis in eo loco, aut Monasterio, desinere possit iustè, ac licitè.

Dico III. Non fuisse, aut esse inusitatum, vt aliquis *vnum Sanctorum hæredem scripserit, aut legatum ei reliquerit*, sicuti loquitur Iustinianus Imperator in Authent. de Ecclesiasticis titulis, c. 6. Verùm, vt ex eadẽ Authent. colligitur, aliud tunc testator voluisse non censetur, quã vt Ecclesię sub eius Sancti titulo, relictum, legatũmue sit. Quare non nisi inscitè & falsò ex illa loquendi phrasi aliquis inferet, Sanctum illum esse dominum rerum ad Ecclesiam, quæ in eius memoriã fundata est, pertinentium; quippecùm in cęlo existens, eiusmodi rerum ac possessionum huius mundi nec capax, nec desiderans sit.

Dico IV. S. Benedictum in cœlis existentem, non esse Caput Ordinis; partim quia Caput Ecclesiarum inuisibile, in cœlis existens, est vnus Christus, cuius vicem agunt Pastores earum visibiles in terris: Partim quia Caput inuisibile in Cęlo nullum dici potest, Fidelium multitudinis, nisi quatenus ea in formã Corporis siue vnius Ecclesiæ, sub vno Prælato redacta est: Quandoquidem Caput ordinem, relationemque habet ad Corpus.

Dico V. Religiosos S. Benedicti nõ esse hęredes patrimonij S. Benedicti, Quia, vt suprà dixi, S. Benedicto nullum, propriè loquendo, patrimoniũ, atque substantia est in terris: Atqui Religiosi illi non sunt filij eius naturales, aut adoptiui, sed secundùm virtutis, ac viuendi regulæ imitationem: Ex qua filiatione nullum ius hæreditatis inferri potest; alioquin etiam Christiani, qui fidei imitatione Abrahæ filij spirituales ab Apostolo Paulo censentur ad Gal. 3. v. 7. patrimonium eius in terra Chanaan vindicare possent.

CENSVRA X.

FOl. 127. n. 68. hęc lego: *Negamus Ordinem S. Benedicti tale Corpus esse, quod Capite careat, cùm singula Monasteria sint subiecta Capiti Ordinis S. Benedicti.* Et paulò post: *Atqui dicent, hanc rationem Corporis visibilis, & capitis inuisibilis non sufficere ad acquirendam proprietatem toti Corpori in communi, vt exinde pariter restitutio peti queat. Respondeo, hoc ipsum ab Opponente non tantùm dici, sed & demonstrari oportere. Ponamus enim, Sedem Apostolicam per mensem, aut annum vacare; adeoq; Ecclesiam nullum habere Caput visibile. In tali casu, si quis fundet, aut debet* (fortasse dotet) *Ecclesiam aliquam particularem, dominium eius vel mox etiam acquiretur Ecclesiæ vniuersali, vel non. Posterius hoc nemo dicet. Si prius asseratur, igitur ad hoc vt acquiratur alicui Corpori, vel Collegio dominium, non requiritur necessariò, vt habeat de facto Caput generale visibile.*

Ad hæc dico: Etiamsi fateremur, quod singula Monasteria subiecta sint S. Benedicto, tanquam inuisibili Capiti eorũ, tamen hinc inferri non posset, quòd S. Benedictus Caput sit totius Ordinis, siue Monasteriorum

S. Benedicti vniuersim acceptorum. Nam Caput inuisibile in cœlis, quod tamen solum Christum esse præc. cens. monui, non dicitur Ecclesiæ in terris militantis, seu vniuersalis, seu particularis, nisi ea visibile Caput habeat. Cùm itaque Monasteria Ordinis S. Benedicti, vniuersim accepta, non habeant vnum commune eiusce Ordinis Caput in terris, frustra asseritur ipsis inuisibile Caput in cœlis.

Ad quæstionem illam respondeo; Si quis Ecclesiam particularem fundauerit aut construxerit, eius dominium veluti altum ac vniuersale mox acquiri Ecclesię vniuersali, tametsi eo tempore Pastore, vid. Summo Pontifice orbata sit: Quemadmodum & particulari Ecclesiæ, v.g. Monasterio acquiritur dominium particulare rerum, quæ ipsi, dum Pastore orbata est, donatæ, aut legatæ fuerint. Cuius rei ratio est, quia Ecclesia seu vniuersalis, seu particularis, interim dum Pastore caret, dummodo maneat facultas & spes alium instituendi, iura sua retinet; quin & Corporis, seu Congregationis, atque Ecclesiæ rationem seruat, sed *orbatæ, viduatæ.* At verò Ordo S. Benedicti rationem vnius Corporis, aut Ecclesiæ non habet, ne *viduatæ* quidem.

CENSVRA XI.

68. EOd. fol. 127. n. 69. ita discurrit Aduersarius: *Pontifex Maximus est summus Generalis omnium Regularium, vt fatetur Opponens, maximè verò illorum, qui proprium Generalem non habent: Vnde non potest ostendi textus in iure, qui prohibeat, quo minus eiusmodi Religiosorum Corpora, quorum Caput Ordinis vnum est in cœlis gloriosum, & inuisibile; alterum verò visibile & eminenter homogeneum, possint habere suorum bonorum commune dominium subalternum, & subordinatum dominio Ecclesiæ vniuersalis; multò minùs, qui prohibeat, restitutionem bonorum eiusmodi Corporis iure peti. Quod si enim hodie summus Pontifex officio Generalatus amoueret Admod. Reuer. P. Generalem Societatis IESV, asserens, se ipsum post hac functurum officio Generalis Societatis; num habebit dominium omnium suorum Collegiorum; num idcirco non habebit ius recuperandi & agendi?*

Astrologus noster, Monasterijs S. Benedicti Caput quærit, vt vnius Ecclesiæ corpus constituere possint; Ideo hic nominat Rom. Pontificem tanquam supremum omnium Regularium Generalem. Sed sophismate fallit Lectorem, & ideo breui distinctione expediri potest; Rom. Pontificem esse Generalem, seu Caput generale omnium Ordinum regularium, sumptorum collectiuè; non autem diuisim, & sigillatim. Nego itaque; Romanum Pontificem esse Generalem, siue Caput generale Monasteriorum S. Benedicti, quatenus à reliquis Religiosorum familijs, separatum Ordinem constituunt: Fateor autem, esse Generalem, seu Caput generale Monasteriorum ac Monachorũ S. Benedicti, quatenus ij membra sunt vnius corporis siue Ecclesiæ omnium Regulariũ. Explicabo rem clariùs: Caput, & Corpus Ecclesiæ

correla-

correlata sunt; ideoque Summus Pō-tifex dici nō Potest Caput Fidelium, nisi quatenus sub ipso vnum Ecclesiæ corpus constituunt; & idcirco bonorum operum ac meritorum communicationem inter se participant, si iusti, seu sancti sint. Hoc verò est priuilegium insigne, seu prærogatiua Roman. Pontificis, quòd ipse non tantùm Romanæ Ecclesiæ proprius ac pecularis Episcopus sit, sed etiam totius ouilis Christi, seu omnium fidelium, (quatenus vnam Ecclesiam Catholicam Sanctorumque communionem efficiunt) supremus Pastor, & visibile Caput existat: Deinde verò eorum omnium, qui iuxta Domini consilia, in præcipuam sortem ac hæreditatis partem vocati; ascitiq; sunt, Religiosorum, inquam, supremus Generalis censeri possit. Quæ ipsa assertio & doctrina inde verisimilis efficitur, quod Religiosi omnes, cuiuscunque Ordinis ac regulæ ab Ecclesia approbatæ sint, tria substantialia Religionis vota, Perpetuam paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, approbante & acceptante supremo Ecclesiæ Pastore edant, eidemque personaliter obligentur, vti dicam infrà cens. 30. in fine: Qui proinde Pontifex Caput illorum omnium, ac Prælatus generalis, tanquam vnius corporis, seu membrorum circa statum Religionis essentialiter nō discrepantium, non incongruè dici possit: Quia consequenter affirmandum, inter variorum Ordinum Religiosos, non tantùm eam, quæ omnibus fidelibus iustis bonorum operum ac meritorum participatio competit, sed aliam quoque specialiorem inter ipsosmet Religiosos, tanquam membra vnius sub Rom. Pontifice constituti Corporis, communicationem intercedere, non esse à vero alienum: Interim verò nemo negat, quin speciali charitatis affectu, & mutua pactione Ordinum quorundam Religiosi, specialiùs adhuc inter se colligari, & operum bonorum ac meritorum influxum mutuò sibi communicare possint.

Ad casum illum, si Rom. Pontifex Societatis nostræ P. Generalem officio amoueret, asserens seipsum posthac functurū officio Generalis; Resp. Vel Summi Pontificis mens, ac declaratio esset, quòd Generalatus officio fungi vellet specialiter in Societate IESV, tunc nulla esset difficultas; maneret enim vnum Corpus Societatis sub vno Capite, Rom. Papa, qui Generalis munus exerceret, suppleretque. Vel Summi Pontificis mens, ac declaratio esset, quòd officio Generalis fungi vellet generatim duntaxat, sicuti omnium Religiosorum Ordinum communis Pastor, & Caput, iuxta modum iam explicatum: Tunc dico, Ordinem, ac constitutionem Societatis nostræ mutatum iri; neque Collegia, & Domos eius habitura inter se rationem vnius Corporis; multò minus, bonorum & iurium communicationem, aut specialem illum membrorum influxum, ac meritorum communionem.

CENSVRA XII.

69. FOl. 128 n. 72 ita legitur: *Ad stabilitatem quod attinet, grauiter hallucinatur, quisquis eam credit ita voueri, vt quartũ votum efficiat, aut quasi per mutationem Religosi ab vno Monasterio in aliud, votum professionis relaxetur, aut remittatur. Nam stabilitatis nomine status cum permanentia intelligitur: Quocirca stabilitas secundùm regulam approbatam, idem est ac status religiosus, ait Antonius Perez comment. in c. 58. reg. S. Benedicti n. 24. Qui n. 28 subiungit, quòd Abbas nomine Religionis, profitentem suscipiat: Etenim cùm professio, (addens) quidam contractus onerosus sit, vltro citroq́; obligatorius, quo Professus fidem suam obstringit DEO, obligaturq́; Religioni; & quo Religio etiam ipsa obligatur Religioso ad retinendũ illum, & alendum, & tractandum iuxta Religionis institutum, &c. Haud simili modo stabilitatẽ explanat Ignatius Balsamon è Societate IESV, qui in Institutione breui de perfectione religiosa sic loquitur. Voueo primò stabilitatem, id est, in finem vsque perseueraturum, viuere ac mori in hac vocatione, ad quam tibi me immeritum sola tua benignitate placuit vocari. Vnde vel accipimus stabilitatem prædicto modo, pro permanentia status sub Abbatis obediẽtia, & sic obligat omnes in Conuentu, sed non singulos, vt ait Abbas, & Innocentius inferiùs allegandi: Nisi dicere malis, huiusmodi permanentiam in loco promitti soli Abbati, vnde & talis promissio ab Abbate, cui facta est, remitti potest.*

Et paulò post: *Deinde stabilitas loci, seu in Congregatione, ideo solùm à SS. Patribus introducta fuit, vt vitaretur gyrouagia; quando nonnulli Monachi Gyrouagi nũcupati, prout à S. Ben. dicto cap. 1. regulæ graphicè describuntur, tota vita per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitabantur, &c.*

Quæ de stabilitate loci, qua cum Religiosi Benedictini, iuxta S. Benedicti regulam, & ius commune, professionem edunt, hic disserit Astrologus, legentibus errores ingenerare possunt, nisi diligentiùs discussa fuerint. Itaque aduertendum, quòd stabilitas Religiosorum variè accipi soleat; interdum, vt significet status perpetuitatem, siue indissolubilem obligationem, quam omnes Religiosi vouent, de qua intelligendus est P. Balsamon. Interdùm verò accipitur pro claustro, seu obligatione manendi in claustro, iuxta Prælati præceptũ, & obedientiæ votum. De hac stabilitate loquitur Abb. Panormit. in c. ex rescripto, n. 3. de iureiur. & refert, nec improbat dictum quorundam DD. Vniuersùm Conuentum non posse ex Abbatis licentia amoueri à claustro; posse tamen singulos, ex causa iusta: Quia dicit Abbas antiquus in c. cùm illorum de sent. excomm. in 6. *vbicunque fuerit Monachus, dummodo sit sub obedientia Abbatis, semper fingitur esse in claustro.* Atq; hæc stabilitas itidem, communis est omnibus Religiosis claustralibus. Ex quo apparet Astrologum, dum de stabilitate, iuxta vtramque harum acceptionem, disputat, & Auctorum dicta congerit, à quæstionis statu data opera declinare, atque Lectoris animum perturbare velle.

Est

Est itaque tertia, eaque solùm ad propositum spectans stabilitas loci, ad quam non omnes Religiosi, etiam claustrales, obligantur; sed ij duntaxat, qui possessionem edunt in ordine ad vnius loci regularem Congregationem seu certum Monasterium, ac Prælatum eius. Quamobrem per eiusmodi professionem efficitur aliquis proprius eius Monasterij filius, eique tanquam pars ac membrum incorporatur: Imò etiam fit quasi possessio, ac seruus Monasterij, eo effectu, vt vnà cum ipso, omnia bona ipsius, ipso iure, in Monasteriũ transeant; & quidquid illi seu hæreditate, seu donatione, seu personali opera atque industria acquiritur, per personam eius, siue potiùs contemplatione eius, ad Monasterium deuoluatur, iuxta Authent. de Monachis, §. Illud quoque, & §. Si vero relinquẽs; Item Authent. Si qua mulier, & Auth. C. de SS. Ecclesijs, Auth. Ingressi, C. eod. iun. Gl.

De hac sola stabilitate locutus sum in Iusta defens. eo ipso in loco, quem Astrologus carpit, vid. pag. 8. *Monachus*, dicebam, *professionem facit, & quasi matrimonium spirituale contrahit erga hoc Monasterium, ei se penitus tradens, tãquam possessio quadam, atque vicissim Monasterium sibi obligans*, *prout ex communi docet Panormit. in c. non est, n. 3. de Regul.* Et postea: *Neque volens Monachus ad aliud Monasterium transferri potest, ex mero arbitrio Abbatis; cùm votum professionis, quod cum stabilitate loci editum est, aliquo modo relaxetur, quod sine causa fieri non debet, prout videre est apud Dominicum de Geminiano in c. cùm singula, Francum n. 3. de præbend. in 6 & Abb. Panormit. in cit. c. non est, n. 6.* Quæ vera & Canonica doctrina, à nemine homine sano reprehendi poterit.

Examinemus iam, quid in ea carpserit Astrologus: I. ait, grauiter hallucinari eum, qui existimauerit, *stabilitatem ita voueri, vt quartum votum efficiat.* Verùm id ego non dixi, ideoque frustra affertur.

II. Stabilitatem non ita accipiendam esse; *quasi per mutationem Religiosi ex vno Monasterio in aliud, votum professionis relaxetur, aut remittatur.* Si ita locutus fuissem, non multum à vero aberrassem; dixi verò, professionis votum *aliquo modo relaxari.* Manet enim secundùm substantialia sua, & quæ communia sunt Monasterijs S. Benedicti; relaxatur autem secundùm ea quæ editæ professionis propria sunt, ac determinata ad hanc Cõgregationem, eiusque Prælatum; peculiaria præcepta & obseruationes. Aiunt verò DD. apud P. Franc. Suarez lib. 6. de voto, cap. 19. n. 4. Sicuti promissio homini facta, ita & Deo editum votum in specie sua implendum esse; siue aliud pro alio solui non posse, inuito eo cui promissio facta est. Non autem Deus contentus esse censetur, vt opus aliud, licet æquè bonum, præstetur loco eius, quod promissum est; eò quod perseuerantia voluntatis stabilitæ magis placeat Deo, quàm recessus & aliqua inconstantia, argum. c. 1. de voto, & eorum quæ docet S. Thom. in 2. 2. q. 88. a. 12. in corp. Quamobrem regula illa ca-

nonica, quòd Religiosis, petitâ Superioris licentiâ, integrum sit transire ad Religionem strictiorem, non item ad æqualem, multò minùs ad Laxiorem, vti tradunt DD. in c. licet, 18. de Regularibus; Ea, inquam, regula atque doctrina locum etiam habet in eiusdem Ordinis Monasterijs, si ea diuersos Prælatos, communi seu generali Capiti, in eos ordinatiā iurisdictionem exercenti, non subiectos habeant. Accidere enim solet, vt reliqua, quamuis vna videatur, quam omnia Monasteria profitentur v.g. S. Benedicti, tamen ob specialia locorum statuta & cõsuetudines, per Abbates & Conuentus introductas, non parua in illius obseruatione varietas sit circa ieiunia, abstinentiam à carnibus, vestimentis ex lino, &c.

III. Non rectè ratiocinatur Astrologus, stabilitatem loci promitti Abbati, ideoque ab Abbate, cui promissio facta est, remitti posse. Falsa hæc est doctrina; quia professio ea cum loci stabilitate, principaliter fit Deo, atque per eam Professus incorporatur Corpori eius Congregationis: Quare promissio illa, seu professio, quatenus ad hanc Congregationem seu Conuentum tendit, ab Abbate, mero eius arbitratu, remitti non potest, etiamsi Monachus velit, aut consentiat.

Cùm verò alium discursum verbis obscuris subiungit Aduersarius, &, vt arbitor, significare vult, professionem cum stabilitate loci remitti posse (quia *collatio canoniæ monachalis in se quidem perpetua est, at ex causa legitima cum consensu Abbatis, & ipsius Religiosi solubilis*) miror quidem, *Canoniam Monachalem* ab ipso appellare: Sed ne de nomine altercemur, doctrina ipsa vera est, & satis à me tradita in ead. pag. 8. Iustæ defens. vbi dixi, relaxationem, seu remissionem illam *mero arbitrio Abbatis* aut *sine causa* fieri non posse; huiusque rei gratia allegaui Domin. Geminianum, Philipp. Fran. & Abbatem Panorm. id adijciens; *Quòd si in aliam diœcesin transferendus sit Monachus non exemptus, præter causam rationabilem, etiā Episcopi proprij consensus requiritur, prout ex communi testatur Ioann. Andreas in fine cit. c. cùm singula, Ioann Monachus ibid. n. 4. Domin. col. 2. Francus n. 3. & 4.*

IV. Ait Astrologus fol. 129. n. 74. *infideliter* me *allegasse Domin. de S. Geminiano, Francum, & Abbatem Panorm. Quia authores hi,* inquit, *ne verbulum, quod sciam, de relaxatione voti meminerunt; cuius tamen mentionem facere debuissent in hac materia, præsertim Panormit. cùm & ipse fuerit Abbas S. Benedicti.* Verùm, neque ego dixi, eos mentionem fecisse *de relaxatione voti*; cùm verba ipsorum non adduxerim; sed eorundem auctoritatem ad stabiliendam doctrinam meam, simpliciter allegârim. Animaduerti autem hic debet, quando Doctores (præsertim Itali & Citramontani) disputant, vtrum Religioso de vna Religione particulari ad aliam particularem transire liceat nomine particularis Religionis frequenter eos intelligere certum aliquod Ordinis Monachorum, vel regulariū Canonicorum Monasteriū,

Sed

Sed ne existimet Astrologus, me hæc ex meo cerebro proferre, aut pro libitu comminisci, adferam Canonistarum doctrinas; Et ne longus sim, eligam duos, omni exceptione maiores, qui instar plurium esse debent. Primus est, Abbas Panormitanus, ad quem ipsemet Aduersarius appellauit: Alter Martinus Nauarrus; Cùm enim ille Religiosus fuerit ex Ordine S. Benedicti, iste autem ex Ordine Canonicorum regularium S. Augustini, negari non potest, ipsos harum rerum fuisse peritissimos; & Ordinibus suis ne minimum quidem abrogare voluisse. Igitur iusta censeri inter nos hæc conuentio debet, vt in hac re illorum verbis atque doctrinis stemus.

70. Abbas Panormit. in c. in præsentia n. 63. & seqq. hæc tradit: *Dubitatur de quæst. nona, quid de bonis ingredientium aliquam Religionem particularem alicuius Ordinis, habentis Patrem Abbatem, qui potest & solet transferre Monachos de loco ad locum, ita quod omnia Monasteria illius Ordinis sunt quasi membra sub vno Capite, nec intrantes particularem locum promittant stare ibi, sed promittunt seruare regulam secundùm statuta Ordinis: Sicuti propiè videtur in Monachis montis Oliueti: Ita etiam credo, quòd seruent isti alij Mendicantes; & scias, hanc vnionem potiùs procedere ex statutis Ordinis confirmatis per Papam; quàm à iure communi, & dispositione regulæ S. Benedicti: quia secundùm regulam, & dispositionem iuris communis quodlibet Monasterium recognoscit Caput de per se, scil. Abbatem, vel Priorem; & Episcopus est superior, tanquam diœcesanus: sic habetur causa 12. q. 2. quasi per totam. In hac quæst. consuluit Cass. de Cal. vt hic refert Dom. Andreas qui in effectu dicit quosdam professos in genere generalissimo, aliquos in genere subalterno, quosdam in specie. In genere generalissimo dicit Professos istos, qui profitenter in manibus Episcopi, vel qui vouerunt se seruaturos tria substantialia regulæ; Item is qui profitetur regulam Prædicatorum, vel Minorum ante annum probationis, c. non solum de Regul. in 6. Obligatur enim isti Religioni in genere, non in specie.* Verùm istæ post Concil. Tridentinum non ampliùs locum habent; ideoque ad alios professionis modos pergamus. Subdit itaque Panormitanus: *Venio ad secundos, scil. Professos in genere subalterno, & istos vocat illos, de quibus in terminis quæstionis nostræ: Et istorum bona dicit, quòd acquiruntur non Monasterio recipienti, sed toti Ordini; quia ex quo totus Ordo sentit onus istius ingressi, naturale est vt sentiat commodum: Allegat Speculatorem, de statu Monach. v. 19. & Gl. quam dicit singularem causa 27. q. 1. c. de viduis 1. in Gl. 1. quæ dicit, bona esse in potestate & dispositione illius, qui est Superior in Ordine, vt sic diuidat & distribuat, prout sibi videtur. Putat tamen Dom. Antonius, quòd si essent plura Monasteria, sub vno Capite, & professio determinaretur ad loca particularia; quia Monachi de particulari loco nunquam remouentur, quòd tunc bona applicabuntur ad particularem locum, vbi ingreditur: quia cessat causa prædicta; & est causa, quare bona ingressi aggregantur Monasterio, secundùm onus Monasterio imminens, causa 16. q. 6. c. de lapsis. Bona verò*

eorum

eorum qui profitentur certam regulam in specie, vt sunt isti, qui profitentur regulam in certo Monasterio alij non supposito, modo prædicto applicantur illi Monasterio.

Aduerte hic primò Astrologe, quòd Panormitanus pro eodem vsurpet, *ingredi particularem Religionem alicuius Ordinis*, & *intrare particularem locum* seu Monasterium.

Secundò aduerte diligenter discrimē, quòd hic Abbas tradit inter Ordines Religionum: Interdum enim Monasteria alicuius Ordinis habent *vnum Patrem, qui potest ac solet Monachos transferre de loco in locum, & omnia Monasteria sunt quasi membra sub vno Capite, vt Monasteria montis Olıueti, & Mendicantium.* Interdum verò Monasteria Ordinis non habent talem vnionem sub vno Capite, vti mox dicam.

Aduerte itaque tertiò, quod clarè expressit idem Panormitanus Abbas, hanc Monasteriorum vnionem sub vno Capite non esse secundùm regulam S. Benedicti, aut iuris communis dispositionem; quia iuxta eam, *quodlibet Monasterium recognoscit Caput per se, videl Abbatem, vel Priorem; & Episcopus est Superior.* Videri possunt quæ infra dicentur Censura 42. & 43.

Quartò aduerte, quòd Abbas palàm dixit, Monachos Monasteriorum non habentium communem Patrem siue Abbatem, *profiteri regulam in specie*, siue *in certo Monasterio.*

Veniamus iam ad Martin. Nauarrum. Is in cons. 3. de regular. edit. 1. hæc scripsit: *An Monachus seu Regularis vnam Religionem approbatam legitimè professus, transiens legitimè ad aliam approbatam, teneatur de nouo profiteri in secunda Religione. Hæc est quotidiana quæstio, & parum tractata. Et quidem pars negatiua videri posset ei qui legerit consilium Federici quatenus videtur affirmare, quòd Monachus vnius Religionis electus in Prælatum alterius, non tenetur ad profitendum secundam. Pro quo facit primò, quòd in omni Religione vouentur tria vota substantialia, scilicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ, c. fin. de statu Monach. Et ita qui profitetur vnam Religionem approbatam, videtur profiteri omnia substantialia omnium Religionum; &, cùm nihil sit faciendum frustra, iuxta c. Si Papa, de priuil. in 6. non videtur repetenda professio à translato in secundum Monasterium. Secundò facit, quòd in trāslatione cuiusdam Monachi ad Abbatiam alterius Monasterij, nulla fit mentio de repetitione professionis in secundo Monasterio. c. sicut tuis, de Simon c. cùm venerabilis de consuetudine, & c. nihil, de elect. vbi agitur de confirmandis omnibus electis, & non fit vlla mentio de huiusmodi professionis repetitione in promoto ad secundam Ecclesiam; nec in c. quorundam, c. religiosus, c. nullus de elect. in 6. in quibus agitur de translatione Religiosi ad aliud Monasterium.*

Sed contrarium videtur dicendum: Tum quia frequenter Monasterium secundum est arctioris obseruantiæ, ad quam professio prioris Monasterij non extenditur; & nisi profiteretur nouè in secunda, nullo iure ad illam obseruantiam obligaretur: Tum quia, &c.

Et concludit denique; *Religiosum, vel Monachum transeuntem legitimè ad aliam Religionem, teneri tacitè, vel expreßè*

expreßè ad profitendam illam, saltem quoad obseruantiam illorum, quæ seruari debent in illa vltra substantialia vota, siue transferatur, vt fiat in illa Prælatus, siue vt maneat ibi vt subditus & filius Monasterij.

Ecce, Nauarrus potißimùm hîc loquitur de translatione Regularium ab vno Monasterio ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, prout apertè colligitur tum ex toto eius discursu, tum ex iuribus allegatis, c. sicut tuis 53. de Simon. c. cùm venerabilis 7. de consuet. c. Religiosus 27. de elect. in 6. in quibus sermo est de translatione Religiosi ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium, tum denique, quia Nauarrus multa intermiscet de translato ad aliam Religionem, vt sit Abbas: Talis autem translatio intelligi non potest ad Religionem alterius Ordinis, iuxta Clem. 1. de elect. Necessariò itaque fateri debemus, transitum Monachi, Ordinis S. Benedicti v. g. aut Canonici regularis de Monasterio suo, in quo professus fuit, ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium, censeri ac dici posse transitum ad aliam Religionem, etiam ad hunc finem, secundùm Nauarrum, vt noua professione, saltem tacita, opus sit.

Et ne quis dubitare poßit de mea hac interpretatione, quæ tamen ex verbis Nauarri manifestè colligitur, adducam alium eius rei testem, Pat. Ioan. Azorium, tom. 1. instit. moral. l. 12. c. 14. q. 13. *Quæritur, an Regularis ex vna Religione, vel ex vno Monasterio in aliud transiens, debeat in eo denuò profiteri? Hanc quæstionem tractat Nauarr. consil. 3. de Regular. Porrò Imola in Clem. 1. de Regul. nu. 19. secutus Ioann. Lignanum videtur negare, præsertim cùm ex vno Monasterio in aliud Monachus transit, eam ob causam, quòd in omni Religione, dum professio solemnis emittitur, fiunt tria vota, quæ ad Religionis substantiam & naturam pertinent.* Et mox: *Fridericus verò, quem citat Nauarrus, docet, Monachum electum in Abbatem alterius Cœnobij, non debere in eo nouam professionem emittere: vnde distinguit, aut Monachus transit, vt præsit, aut vt subsit: si vt præsit, tanquam Abbas, Prior, vel Superior, non est necesse, vt denuò profeßionem emittat: si vt subsit, necessaria est secunda promißio. Contrarium Nauarrus affirmat, ratus requiri profeßionem secundam: Tum quia licet fuerit Monachus vnius Religionis, Ordinis, vel Monasterij, non tamen eo ipso est alterius: Tum etiam, quia vnaquæque Religio suis constitutionibus gubernatur, ac regitur, & oportet, vt omnes eiusdem Ordinis Monachi eisdem legibus & constitutionibus teneantur. At nisi fieret noua profeßio, Religiosus ad aliam translatus, esset ijs constitutionibus ac legibus solutus, quibus alij tenerentur. Item singula Monasteria, quando non sunt sub cura & potestate vnius Generalis Præfecti, suis statutis & legibus viuunt, & vnum Monasterium sæpe duriori & arctiori instituti regula tenetur.*

Addamus alium locum ex Nauar. consil. 60. de Regular. edit. 1. *An Regularis translatus in aliam Religionem, debeat sedere in Capitulo ad suam vocem dandam iuxta tempus, in quo emisit professionem in priori Monasterio, siue in quo fuit translatus, vel in quo fuit professus in*

secunda? Respondetur, quòd debet sedere secundùm tempus, quo professus fuit in secunda, per ea quæ dicta sunt in consil.17. tum quia eo tempore incipit esse Regularis illius Religionis, & secundùm illud tempus debet scribi & sedere, iuxta l.1. de albo scribendo, ff arg c.1. & c. statuimus, de maior. & obed. Quod est verum in eo qui transfertur, & fit in eo subditus & filius: si autem est translatus in Præfectum, & renuntiauit præfecturam, sedebit in primo loco post Præfectum, in memoriam honoris, quem gessit.

Hic iterum apparet, Nauarrum per translationem in aliam Religionem, intelligere transitum ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, si professio edatur determinatè ad locum, & Prælatum loci.

Immeritò itaque me reprehendit
69.70. Astrologus fol.128. & 129. quòd trāslatione ad aliam Religionē comprehenderim etiam translationē ad aliud Monasterium v.g. S. Benedicti; Item, quòd dixerim, trāslatione ista votum professionis, quippe astrictum certo Monasterio ac Prelato eius, quodammodo relaxari. Si enim professio eadem omnino permaneret, quid opus esset, vt ad aliud translatus Monasterium iterum profiteretur, saltem tacitè? Et quare postremum ipse locum in secūdo Monasterio tenere debeat, si, vti falsò arbitratur Astrologus, at-
64.65. que pluribus verbis cōtendit fol.124. 125. omnia Monasteria sint membra Ordinis, tanquam vnius Corporis, penes quod Ordinis Corpus etiam iura dominij, ac possessio singulorum Monasteriorum permaneant? Videri possunt quæ dixi cens.10.

Hinc etiam obiter colligi potest, non ita absonam, & à verborum proprietate alienam (vti fol.177. Astro- 167.
logus censet) esse interpretationem cuiusdam responsi, quod ex mente Sanctissimi Domini nostri Nuncius Apostolicus misit ad P. Martinū Becanum p. m. Anno 1624. *Si bona illa ecclesiastica*, quæ Cæsarea Maiestas ad alios pios vsus applicare voluerat, *reditus erant alicuius Religionis Regularium, quæ nunc extat in Congregatione vnita, quod illi particulari debent restitui: quia res iniustè ablata debet restitui.*

Explicaueram id pag.377. Iustæ defens. Si Religio ea particularis, siue Congregatio Regularium, cui bona iniustè ablata fuerunt, adhuc extet, & non penitus extincta sit, illi particulari, videl. Congregationi seu Conuentui restituenda esse. Ita enim nomen *particularis Religio* præsertim à Citramontanis accipi, pro certa Congregatione aut Corpore Regularium, ex ijs quæ in hac censura dicta sunt, cognosci potest. Contrà verò Astrologus, nullum, vti arbitror, seu iuris textum, seu Doctoris alicuius testimonium producere poterit, in quo *τὸ particularis Religio* accipiatur, sicuti ipse interpretatur, pro plurimorum Abbatum Capitulo seu Congregatione. Accedit, quòd ipsemet Aduersarius non nisi vnam solam per vniuersam Germaniam assignare possit Congregationem, videl. Bursfeldensem, quæ adhuc extet ex ijs, quæ olim constituta erāt Capitula seu Congregationes Abbatum Ord. S. Benedicti, prout apparet ex ijs, quæ fusè-

528. fusè congesſit Aſtrologus fol. 207. & pluribus ſeqq.

Argumenta, quibus Aduerſarius interpretationem meam infringere nititur, præter ſophiſticas principij petitiones, hæc ſunt: I. Sedes Apoſtolica conſulta fuit de bonis quæ pridem alienata, Monaſteria profanata, ac Monachis & Monialibus orbata fuerant: Reſponderi itaque non potuit, ſi particularis Religio, (id eſt, Congregatio ſeu Conuentus) adhuc extet, & non omnino extincta ſit, illi reſtitutionem fieri oportere. II. Monachi & Moniales omnes ante annos ſeptuaginta, aut octoginta mortui fuerant; Atque ideo indubitatum fuit, Congregationem particularem, iuxta meam interpretationem, non extare. III. Quidam è Societate PP. Theologi de eo Roma tranſmiſſo reſponſo olim conſulti, aliter id intellexerunt: *Quod* autem *ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*, reg. 21. in 6. Et *mutare conſilium aliquis non poteſt in alterius detrimentum*, reg. 30. in 6.

Facilè reſpondeo: Ad I. Quod bona alicuius Monaſterij malè alienata fuerint, & ipſa Monaſterij ſtructura profanata, aut religioſis incolis orbata, nihil prorſus obſtat, quominus ius particularis Congregationis, ſeu Conuentus etiam in eiectis quibuſdam & abſentibus cõſeruetur. Quam multa hodie in Germania ſacra Collegia, ac Monaſteria ſunt, quorum bona alijs donata, aut vendita fuerunt à Suecicis, ipſaque profanata, Clerici aut Religioſi incolæ eiecti: Et tamen eorum Congregatio ſeu Collegium adhuc extare, atque Collegiati iura ſua ſeruare cenſentur, quibus proinde reſtitutio fieri debet. Ad II. dico: Id minimè narratum fuiſſe in ſupplicatione Sedi Apoſtolicæ oblata, alioquin alia reſponſio data eſſet. Ad III. Satis à me reſponſum cit. pag. 377. Theologos illos, poſteaquam ex alijs à Sede Apoſtolica datis literis ac reſponſis clarè intellexerũt, non eam, quam priùs ipſi conceperant, S. D. N. mentem fuiſſe, ſententiam quoque ſuam mutaſſe. Talem autem conſilij aut ſententiæ mutationem, quę ob pleniorem rei cognitionem fit, iniquam, præiudicialem, aut non conceſſam eſſe, nunquam oſtendet Aſtrologus.

CENSVRA XIII.

FOl. 129. nu. 75. & fol. ſeq. hæc adfert Aduerſarius: *Inſuper cùm adiungit in argumento Opponens* (Laymann.) *Generales Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis Ordinum, non niſi in pertinentibus ad regularem diſciplinam, prælationem aliquam habere, non item in ordine ad perſonas, neque in ordine ad iura & bona Monaſterij, quaſi de ijs diſponere poſſint, &c. grauiter in veritatem impingit: tametſi translatio Religioſorum, aut bonorum de vno loco in alium, nihil prorſus ad rem faciat.* 76

Et poſtea nu. 76. *Quòd porrò Generales horùm Ordinum prælationem aliquam habeant in ordine ad iura & bona Monaſteriorum, docẽt nos primò ſtatuta Ordin. Præmonſtratenſium Anno 1618. renouata & edita,*

& edita, quæ dist. 4. cap. 30. num. 179. sic habent: Nullus Prælatorum Ordinis nostri aliqua immobilia bona primæ fundationis, vel quæ sunt amortizata, vel quæ ad Ecclesias suas longo tempore spectauerunt, sine Dom. Præmonstratensis, vel Capituli generalis, vel Patris Abbatis, vel, si is nimis longè dißitus, Vicarij siue Visitatoris ad hoc specialem potestatem habentis, consensu, in scriptis obtento, vendat aliquatenus vel alienet.

Et n. 77. *Generalem item Ordinis Cistercienſium alienationes bonorum mobilium & immobilium sui Ordinis posse concedere, confirmare, & inualidare, docet Em. Rodriquez qq. regul. tom. 1. q. 27. ar. 2. quippe cui Ordini omnia bona sunt communia, iuxta Bullam Pij II. datam Mantuæ anno* 1459. *pridie Non. Augusti, quæ incipit: Super gregem Dominicum nobis licet immeritis. Vbi inter cætera hæc habentur: Nos hoc perpetuæ constitutionis Edicto, authoritate Apostolica & ex certa scientia statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnia bona Monasteriorum & aliorum locorũ dicto Ordinis sint communia.* Et in margine habetur: *Omnia bona Monasteriorum sunt Ordini Cisterciensi communia.*

Verba illa n. 75. allegata, accepit ex pag. Iustæ defens. 10. sed more suo deprauatè attulit: Non enim absolutè negaui, Generales Cistercienſium, ac Præmonstratensium prælationem aliquam habere in ordine ad personas professas, sed cum addito, *pro libitu transferendas*, &c. Verùm ne impostura argui poßit Astrologus, postea obiter insinuat, quid dicere voluerim, aitque, grauiter me in veritatem impegisse: atque oppugnando ait primò, translationem Religiosorum, aut bonorum ab vno loco in alium, nihil ad rem facere: Secundò, etiam Generales illorum Ordinum prælationem habere ad iura & bona Monasteriorum.

Quod ad primum attinet, plurimùm referre ad rem, qua de agimus, num Generalis aliquis Pater prælationem habeat, iurisdictionemque erga Monasteriorum, Collegiorumve, aut Domuum sacrarum personas suo arbitratu transferendas, disponendique de illarum bonis potestatem. Nam exinde deprehenditur maior Corporis seu Ordinis totius vnitas, quò magis Monasteria aut sacra Collegia, tanquam membra, subiecta sunt gubernationi ac dispositioni vnius Capitis. Hæc res censura seq. magis declarabitur: Hîc autem per facti speciem docebo Astrologum. Si aliquis Ordinem v.g. Patrum Dominicanorum profiteatur, post Concil. Tridentinum seſſ. 25. cap. 3. de Regular, bona eius, etiam immobilia, non ad Monasterium illud, in quo votum professionis edidit, sed ad Ordinem deuoluuntur, iuxta dispositionem Generalis, aut Prouincialis. Similiterque, si Religioso professo donatio fiat, aut legatum, vel hæreditas accidat non certi Monasterij contemplatione, Generalis, aut Prouincialis de bonis obuenientibus disponet: non autem Monasterium, in quo Professus ille versatur, ius prætendere poterit. Sed longè diuersa ratio est de Monasterijs eorum Ordinum, etiam

Gene-

Generalem habentium, in quibus professio edi solet restricta, seu cum stabilitate loci. Isti enim sunt Professi singulorum Monasteriorum, at verò Patres Dominicani, alijq; Mendicantium Religiosi professi sunt Ordinis. Audiamus de hac ipsa re differentem P. Ioann. Azorium tom. 1. Inst. mor. lib. 12. cap. 10. q. 4. *An professus Religionem in vno certo Monasterio, acquirat illi, an alteri? Respondeo, illi tantùm acquirere, vt colligitur ex c. Abbates, 18. q. 2. Sciendum est ex Abbate in c. præsentia de probat. nu. 63. Iure communi, & iuxta regulam B. Benedicti, quodlibet Monasterium esse in cura, & potestate Abbatis siue Prioris qui ipsi præest: Et Abbatem subijci Episcopo vt Superiori, in cuius diœcesi Monasterium est constitutum, c. Abbates & alijs cc. causa 18. qu. 2. Vnde iure communi & antiquo, quilibet Monachus acquirit illi Monasterio, cuius est Monachus, non alteri: illius autem Monasterij censetur Monachus, cuius est filius, & eius est filius, in quod ingressus est, & in quo professus est Monasticam regulam. Caeterùm in ijs Religionum Ordinibus, in quibus multa Cœnobia in vna prouincia subijciũtur Præfecto Prouinciali, & omnia totius Ordinis Cœnobia Præfecto Generali, Monachus vnius Monasterij ita bona acquirit, vt ea poßit Præfectus generalis applicare huic vel illi Conuentui siue Collegio: quia Religiosus non ita profitetur regulam Religionis, vt fiat filius & Monachus illius Cœnobij, in qua professionem emisit. Tales sunt Ordines Religiosorum Mendicantium. Excipiuntur tamen bona, quæ ita ad Religiosum perueniunt, vt eo ipso intelligantur applicata certo Cœnobio, seu Collegio: nam reliqua acquiruntur Ordini, non certo Conuentui.*

Quod verò ad alterum attinet, ostendere conatur Astrologus, Generales illos habere prælationem super bonis & iuribus singulorum Monasteriorum, quia alienationes etiam rerum immobilium, concedere, confirmare, &, si sine consensu eorum factæ sint, infirmare posint. Respondeo: Si ita est, fateri coguntur, Religiosi illi, se id habere ex priuilegio Sedis Apostolicæ, quæ talem potestatem auferre potest, imò verò ante annos circiter decem, per decretum, ablatam esse, memini. Deinde, ex hac alienandi concedenda potestate, colligitur quidem prælatio & iurisdictio aliqua, sed non in ordine ad disponendum de bonis. Siquidem Episcopo, spectato saltem antiquo iure, competit hæc potestas concedendi, aut confirmandi alienationes bonorum, si ex iusta causa necesitatis, aut vtilitatis, præcedente tractatu & cõsensu Conuentus, fiat à Prælato Monasterij non exempti, non ideo tamẽ Prælatus is regularis fatebitur, ad Episcopum pertinere prælationem super bonis, aut facultatem disponendi de bonis Monasterij sui: cùm, secundùm sacros Canones plena administratio rerum Monasterij ad Abbatem pertineat, c. nullam, causa 18. q. 2. Ita tamen, vt Episcopus attendat, vt administratio rectè fiat, non ad dilapidationem tendat, &c. Quamobrem mala est illatio, si quis ex eo quòd Abbas aliquis Ordinis S. Benedicti bona immobilia, aut mobilia pretiosa

alienare non potest sine auctoritate Episcopi, aut Abbas Ord. Cistercienſium vel Premonstratenſium ſine auctoritate Generalis, colligere velit, Abbates illos plenam & liberam bonorum Monasterij administrationem non habere.

Porrò id incredibile prorſus, atque ab eccleſiarum conſuetudine alienum dictum eſt, quod fol. 130. iteratò inculcatur, *Omnia bona Monasteriorum eſſe Ordini Cistercienſium communia.* Magis autem admiratus fui, cùm verba Bullæ Pij II. quæ hoc ipſum teſtari videbantur, legiſſem: Sed mox fraudem ſuſpicatus, quam ingenioſè hic exercuit Falſarius noſter. De industria enim verborum etiam constructionem falſari voluit, *dicto Ordinis ſint communia*: Ita ſecum ratiocinās: Lector quilibet animaduertet errorem commiſſum eſſe, & ex adiunctis colliget, legendum *dicto Ordini*, quod decipiendi propoſito meo ſeruit. Sin autem aliquis repertus fuerit, qui curioſiùs in Bulla (quæ tamen in vulgato Bullario non reperitur) inſpexerit, à me (Aſtrologo) delictum amouere, atque Typographo adſcribere potero, qui pro *dicti Ordinis* poſuerit *dicto Ordinis.*

71.

Sed nequaquam ſeà falſi crimine, in re iſta grauiſsima, extricare poteſt Aduerſarius: Si enim præter ipſius mentem, à Typographo poſitum fuit *dicto* pro *dicti*, cur itaque tàm in contextu, quàm ad marginem, & in ipſo Indice, verbo *Cistercienſes* conteſtatus fuit, omnia bona Monasteriorum toti ORDINI Cisterciēſi communia eſſe, & quidem iuxta Bullam Pij II. Sed audiamus verba eius Bullæ ex libri impreſsi priuilegiorum Ord. Ciſterc. p. 39. *Auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, ſtatuimus, decernimus & declaramus, quòd omnia bona Monaſteriorum, & aliorum locorum dicti Ordinis, ſint communia*: Et, *quòd vaſa argentea, & clenodia, & alia quacunque ad decorem, & ornamentum Abbatis & Conuentus cuiuslibet Monaſteriorum eorundem, maneant & conſeruentur in quolibet Monaſteriorum Ordinis antè dicti: Quodque vaſa & clenodia, & bona prædicta per Commēdatarios ipſorum Monaſteriorum, vel eorum Officiarios, alienari non poßint, ſeu debeant quoquo modo.*

Ex his verbis nulla vtique bonorum communio, tanquam toti Ordini competens, colligi poteſt, ſed prorſus contrarium, cùm dicatur vaſa argentea, clenodia, &c. cuiuslibet Monaſterij, in ipſo manere, & conſeruari debere. Atque, vt res clarè appareat, cauſa, & occaſio eius decreti hæc fuit: Quia Abbates Ordinis eius, præſertim Commendatarij, habentes menſam & aulam ſeparatam à menſa & clauſtro Conuentus, prætendebant interdum, peculiares ac proprias poſſeſsiones, earumq́ue prouētus ſibi deberi, mobilia etiam pretioſa ab Anteceſſore relicta ſui iuris ac dominij eſſe, vt ea liberè alienare poſſent. Contra hanc falſam prætenſionem Pius II. Pontifex Apoſtolica auctoritate, & ex certa ſcientia decreuit, ac declarauit, quòd omnia bona Monaſteriorum & locorum dicti Ordinis, ſint cōmunia; Et quòd vaſa

argentea,

argentea, &c. Confirmata hæc reperiuntur à Sixto IV. Pontifice pag. 131. Gregor. XIII. pag. 215. Sixto V. pag. 222. qui nu. 19. confirmare se ait plurium Antecessorum statutum & preceptum, *ne Abbates & Monachi bona à defunctis illius Monasterij relicta sibi approprient.*

Ex his, vt arbitror, apparet, multos graues errores in Ecclesias introduci posse, si eiusmodi hominibus quælibet scribendi, ac falsandi licentia permissa sit.

CENSVRA XIV.

73. FOl. 131. nu. 78. hæc refert Astrologus: *Notandum* (*ait Eman. Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 2. a. 9.*) *in Societate quosdam Scholares nuncupari, qui, licet nō sint solemniter professi, tria vota substantialia emittunt, neque à Societate, citra incursum apostasiæ, recedere possunt: licet Præpositus Societatis illos expellere valeat, &c. Et huiusmodi Nouitij non sunt propriè de corpore Societatis, neque immutabiliter Religiosi, sicut sunt solemniter professi.* Et paulò post: *Non sunt propriè & immutabiliter Religionis membra, sicut sunt professi, qui dicuntur membra inseparabilia argum. eorum, quæ tradit Aretinus, quia illud est propriè & inseparabile membrum, quod à corpore suo non separatur, vt probatur in iure, & traditur à Bellamera & Socino. Et quod ipsi Scholares Societatem non constituunt, patet ex quibusdam literis Iulij II.* (Iulium III. scribere debuisset: Nam Iulius II. dudum mortuus fuerat, antequam Societas orta esset) *in quibus nonnulla Societatis Constitutiones inferuntur, vbi inter cætera dicitur, quòd Societas habeat Collegia, in quibus Scholares, velut in seminario existant, innuens, diuersam esse Societatem ab huiusmodi Gymnasio. Quod etiam clariùs liquet ex alijs literis Pauli III. vbi dicitur, quòd Scholares huiusmodi, peracto studiorum suorum cursu, & qui in literis aliquid profecerint, in Societatem admitti possint: & sic necessariò supponitur, quòd antea non erant de Societate, neque Societatem constituebant. Et paulùm infrà: Præterea, si rectè quis intueatur, ipsi Scholares vt ex serie Constitutionum Societatis apparet, nihil possident in communi, aut particulari. Hæc Rodriquez.*

Addit postea ex seipso Astrologus, nu. 79. *Quæ si ita sunt, certum est, quòd spoliato aliquo Collegio Societatis, istis Scholaribus nō competat vlla actio, aut ius repetēdi prædictum Collegium, nisi ius illud generalissimum, quòd quilibet è plebe habet in causis pijs ab* (fortasse *ac*) *ecclesiasticis, quia non sunt propriè membra Societatis. Sed nec ipsi spoliati fuerunt, cùm, secundùm prædicta, nihil in communi, aut in particulari possederint, qui autem nihil possidet omnino, non potest possessione spoliari, l. 83. ff. de diuer. reg. iuris. Deinde etiam ij, qui propria & inseparabilia membra sunt Societatis, non possunt suo nomine agere pro restituendo sibi Collegio ablato, etiamsi tempore spoliationis in Collegio habitauerint. Ratio est, quia non habent vllum titulum seu ius beneficij in Collegio, prout habent singuli Monachi & Canonici regulares in suis Monasterijs, quibus eapropter, quamdiu viuunt, iura concedunt actionem peculiarem. Possunt tamen agere nomine Societatis, cui Collegium erat incorporatū.*

Cæterùm

Cæterùm iu: transferendi perſonas, aut bona de loco in locum, &c. vt dixi, nihil ad rem, quippe quod nec tribuit, nec adimit quidquam Societati quoad dominium, poſſeſſionem, & agendi iura.

De his dictis cenſuram ferre debeo, vt & veritas, & à Sede Romana Apoſtolica confirmatum Societatis inſtitutum, defenſa ſint. Itaque ſic cenſeo; pium, & religioſum admodum, atque benè in Eccleſia meritum P. Eman. Rodericum Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, in quibuſdam hic erraſſe, ſed veniâ & excuſatione dignum eſſe, quia ipſemet inſinuat ſe huius rei notitiam plenè non eſſe aſſecutum: Eod. a. 9. in fine. *Videant ipſi, an ex priuilegijs Societatis patentius ius habeant. Priuilegia enim huius ſacræ Religionis originalia ad meas manus non peruenerunt: ſolùm enim vidi aliqua in quodam compendio auctoritate R. P. Claudij Generalis compilato. Et ex priuilegio ſuperiùs allegato ſolùm collegi, omnes perſonas Societatis Mendicantes eſſe, & priuilegijs & gratijs omnium Mendicantium Ordinum gaudere. Vtrum autem dicti Scholares inter perſonas Societatis, ſub illa vniuerſali omnes comprehendantur, ex tenore dictorum verborum aſſequi, clarè non poſſum.* Reprehendendus itaque eſt Aſtrologus, quòd ex eo potiùs Auctore, qui cognitionem plenam rei in quæſtione poſita ſibi deeſſe profitetur, de Ordine & membris Societatis noſtræ falſas perſuaſiones colligere, & proprijs (vt poſtea dicam) erroribus augere maluit, quàm ex P. Franc. Suarez tom. 4. de Relig. alijſque, iuxta Societatis noſtræ Conſtitutiones ac priuilegia expoſitam veritatem, addiſcere.

Deceptus autem fuit P. Em. Rodriquez in eo, quòd exiſtimarit Scholaſticos Societatis qui tria ſubſtantialia Religionis vota poſt completum probationis biennium edunt, non eſſe propriè de corpore Societatis, ſiue non eſſe membra conſtituentia Societatem. Oppoſitum verò huius habetur in Conſtitut. Societatis noſtræ p. 5. cap. 1. *Scholaſtici approbati, etiam modo quodam interiore, quàm admiſſi ad probationem, in corpus Societatis cooptantur.* Et Gregor. XIII. Roman. Pontifex in Bulla Confirmat. quæ incipit. *Quantò fructuoſiùs*, data Anno 1582. die 1. Febr. declarauit, *eos qui poſt biennium Nouitiatus emenſum, tria vota ſimplicia, ſicut ab hac Sede probata ſunt, emittentes, & extra Nouitiorum numerum habiti, ac in corpus ipſius Societatis cooptati, illiuſq; meritorum ac priuilegiorum, non ſecùs atque ipſi Profeſſi, ex prædictæ Sedis diſpoſitione, participes effecti, &c. verè & propriè Religioſos eſſe.* Idemque eiſdẽ penè verbis habetur in alia Gregor. XIII. Pontificis Bulla, cuius initium *Aſcendente Domino*, data anno 1584. 8. Kal. Iunij, §. Et quamuis.

Ad argumenta, quibus mouebatur P. Eman. Rodericus, quia Scholaſtici non ſunt membra Societatis inſeparabilia: Item, quia in Collegijs, tanquam Societatis ſeminarijs exiſtentes, ſi in literis profecerint, in Societatem admitti poſſint, facilis eſt reſponſio. Primi enim ſolutio apparet ex Conſtitut. Societatis noſtræ p. 5. c. 1. in declarat. lit. A. *Societas, vt eius no-*

men latißimè accipitur, omnes eos, qui sub Obedientia Præpositi Generalis viuunt, etiam Nouitios comprehendit. Et paulò post: *Secundo modo, qui minùs late patet, Societas cum Professis & Coadiutoribus formatis, etiam Scholasticos approbatos continet: Ex his enim tribus partibus seu membris Societatis corpus constat. Tertio modo, & magis proprio, Professos & Coadiutores formatos duntaxat continet: Et sic accipiendus est in Societatem ingressus, quē Scholastici promittunt, scil. vt inter Professos, vel Coadiutores formatos illius numerentur.* Est enim verò corpus Societatis nostrę non homogeneum, sed habens membra varia, alia magis, aut minùs interiora Corpori, ad varia officia & functiones pro DEI gloria exercenda.

Ad secundum, negatur, de ratione membri moralis esse, vt sit inseparabile à corpore. Nónne serui, & filij partes ac membra sunt familię, veluti vnius corporis, cuius Caput est paterfamilias? Et tamen serui manumitti possunt, filijfamilias emancipari. Nónne item ciues partes sunt & mēbra ciuitatis sub vno Magistratu constituti, & tamen inde migrare, domiciliumque mutare possunt? Nónne etiam milites, & variæ eorum cohortes partes sunt & membra sub vno Duce constituti, & tamen ab exercitu separari ac dimitti possunt? Accedit verò, quòd, vt paulò antè ex Constitutionibus intelleximus, ex pluribus partibus, ac veluti membris Societas nostra constat, quorum vnum est & semper erit Scholasticorum, quamdiu corpus istud Societatis incolume permanebit; nihil obstante, quòd aliqui eorum, simplicia inquam vota habentium, interdum è Societate dimittantur, siquidem, vt dictus Gregor. XIII. in Bulla Ascendente Domino ait, hæc conditio etiam *eis multò est commodior, vt liberi potiùs, quàm votis obligati dimittantur, alijsq; iustis & rationalibus de causis.*

Altera falsa P. Roderici persuasio fuit, Scholasticos Societatis nostræ *nihil possidere in communi, aut particulari*, Oppositum verò decreuit Paulus III. Pontifex in confirmat. instituti Societatis Anno 1540. 5. Kal. Octob. Et in altera Bulla confirmat. data anno 1543. prid. Idus Martij, quòd *socij Societatis* IESV *poßint habere in Vniuersitatibus Collegium, seu Collegia habentia census, reditus, & possessiones, vsibus necessarijs Studentium applicandas, retenta penes Præpositum & Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendentia super dicta Collegia, & prædictos Studentes.*

Gubernatio itaque & administratio Collegiorum, ac bonorum est penes Societatem, quam ipsa in Præpositum generalem transtulit. Penes quem autem est dominium ac possessio censuum, redituum, &c. cuiusque Collegij? Non penes Præpositum, neque penes Societatem, quà Professos continet, cùm ij omnium stabilium bonorum seu redituum incapaces sint, neque Collegiorum prouētus aut bona ipsorum commodis, & vsibus applicari possint, p. 6. Constit. Societ. c. 2. Idemq; habetur in dictis Bullis Pauli III. Pontificis, in Bulla Iulij III. data Anno 1550. 12. Kalend.

Augusti, & in Bulla Gregor. XIII. *Ascendente Domino.* Ne itaque dicere cogamur, bona & reditus Collegiorum vacantia esse, necesse est nos fateri, eorum dominium ac possessioné ad Scholasticos eosque qui Professi non sunt, pertinere, non in particulari, sed communi.

Neque occurrit mihi, qua ratione P. Rodericus oppositum sibi ex Cóstitutionibus nostris persuaserit, nisi, quia omnis bonorum administratio Præposito Generali commissa est. Id verò nihil impedit, eorundem bonorum dominium ac possessionem ipsis Scholasticis in cómuni, seu Collegialiter viuentibus competere. Nónne etiam pupillus rerum suarum dominus ac possessor est? & tamen tota administratio earum ad tutorem eius pertinet.

Enumerabo nunc errores, atque inscitias, quas Astrologus noster adiecit. I. Non parùm in eo deliquit, quòd R. P. Emman. Róderici sententiam vnius literæ falsatione, peruertérit. Ille enim Scholasticos Societatis approbatos *nouitios* appellauit adiectiuè, qua ratione in multis Religionibus vocari solent, *iuniores*, seu *nouitij Religiosi*: At verò Astrologus litera maiuscula expresit *huiusmodi Nouitij, non sunt propriè de corpore Societatis.* Quis ex hoc scribendi modo non colligeret, Scholasticos illos esse veluti in via ad Societatis Religionem, sed non propriè Religiosos? Hæc autem, ita intellecta, è diametro repugnant Apostolicæ Sedis definitionibus ac decretis. Gregor. XIII. Papa in alleg. Bulla Ascendente Domino, *Quibus* (Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ) *votis emißis, Nouitij esse desinunt, & in Societatis corpus, qui literis operam dederunt, vel daturi sunt, vt Scholares approbati, alij verò vt Coadiutores temporales nondum formati cooptãtur.* Et postea, *motu proprio, ex certa sciẽtia, deq; Apostolica Sedis plenitudine*, idem Sanctissimus Pontifex statuit, ac decernit, *Scholares ipsos, & supra dictos alios omnes & quoscunque qui in ipsam Societatem admißi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota substantialia prædicta, tametsi simplicia, ediderint, verè & propriè Religiosos fuisse, & esse, & vbique semper & ab omnibus censeri & nominari debere, non secùs, atque ipsos tum Societatis, tum quorumuis aliorum regularium Ordinum Professos.* Et paulò infra. *Præcipimus igitur in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia, secularia, & quorumuis Ordinum regularia, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, quorum absolutionem nobis & Successoribus nostris reseruamus, ne quis cuiuscunq; status, gradus, & praeminentiæ existens, dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam præsentes, aut quemuis earum, vel supra dictorum omnium articulum, vel aliud quid supra dicta concernens, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat.*

II. In eo errat Aduersarius, quòd ait, spoliato aliquo Collegio, Scholasticis nullam actionem, aut ius repetendi competere posse, nisi id quod

cuilibet

cuilibet è plebe. Sed cur non potiùs dixit, cuilibet è clero? Clerici enim in hac actione præferentur plebeis siue laicis: Nisi Societatis nostræ Scholasticos inter plebem numerare velit.

III. Grauiùs deliquit, quando in confirmationem dicti sui, duos errores protulit, Scholasticos *non esse propriè membra Societatis*. quod, vt vidimus, Pontificijs decretis repugnat: Et, Scholasticos in eo casu *non esse spoliatos*. Quis ergo est spoliatus? Ex verbis eius sequentibus apparet, responsurum, quòd Societas. At verò Societas non est spoliata, nisi contemplatione Scholasticorum: Ideoq; necessariò fateri debet, Scholasticos esse verè, ac propriè Societatis membra, vt mox iterum patebit.

IV. Ait, Eos qui propria & inseparabilia Societatis membra sunt (indicare volens, Scholasticos aliosque qui simplicia tantùm vota in Societate edunt, non esse propria Societatis membra, quod itidem Apostolicis decretis repugnat) videl. solemniter Professos *non posse suo nomine agere pro restituendo sibi Collegio ablato, etiamsi tempore spoliationis in eo habitauerint*. Hoc dictum verum est, non posse Professos suo nomine agere pro Collegij erepti restitutione, idque siue in eo habitauerint, siue non. Sed rationem huius malè assignat, Astrologus: *Ratio est*, inquit, *quia non habent vllum titulum seu ius beneficij in Collegio*. Quasi verò ad sacrum Collegium constituendum necessarium esset, Collegiatos in eo titulum seu ius beneficij habere, aut spoliatos dici non posse, si non in perpetuum, & immutabiliter in eo ius, seu facultatem sustentationis obtineant. Quàm multa sunt, aut esse possunt Collegia Clericorum, imò etiam Religiosorum in Vniuersitatibus studentium: Virginum item, ex Apostolicæ Sedis licentia, in communi habitantium, qui omnes titulum seu ius beneficij in Collegijs non habent, & liberè inde discedere, aut transferri possunt. Quis autem tam amens sit, vt existimet, eas personas in communi viuentes, & ex communibus reditibus sustentari solitas non spoliari, si Collegium ipsis eripiatur? Itaque non est hæc ratio, cur Professi suo nomine agere non possint, sed quia ipsi capaces non sunt redituum Collegij, consequenter nec possessionis, non tantùm *sigillatim* considerati, sed etiam, vt *collegiati*.

V. Posse tamen, inquit, Professos pro recuperatione Collegij agere, *nomine Societatis cui Collegium incorporatū*. Inprimis, si Collegium Societati incorporatum est, multò magis ij, qui Collegium per se constituunt, videl. Scholastici, Societati incorporati erunt: Ideoque ij ipsi sunt propria Societatis membra. Quod tamen Aduersarius antea malè negauit.

Deinde inscitè loquitur, quòd Professi in eo casu agere possint nomine Societatis: Sed dicendum, quòd Societas professa, seu potiùs Prepositus Generalis, agere possit nomine, & iure Collegij, ac Collegiatorum simplicia vota habentium, quippe qui eiusmodi bonorum ac re-

dituum capaces sunt. Quemadmodū, vt suprà indicaui, tutor agit nomine pupilli, curator nomine adolescentis sub cura sua constituti. Et in simili declarari potest: Si Ecclesia aliqua, effracta sacristia & ereptis vasis sacris, spoliata sit, ad restitutionem agere poterit eius loci Parochus, quatenus ei ab Episcopo cura & custodia templi commissa est: Agere quoque potest, & quidem principaliter, Episcopus, quia Ecclesia ea diœcesi suę, tanquam membrum, incorporata est. Vterque autem, tam Parochus, quàm Episcopus, libellum formabit nomine Ecclesiæ spoliatæ, quippe ad quam res ablatæ pertinebant. Ita dico, si Collegium spoliatum sit, actionem competere Rectori eius Collegij, cui cura & administratio rerum proximè commissa est: Sed principaliùs competere, Præposito Generali, qui plenam omnium Collegiorum, & eorundem bonorum ac redituum administrationem, gubernationemque, ex plurimorum Pontificum Indultis, obtinet: Vterque autem aget nomine Collegij, seu Collegiatorum, pro quibus Collegij bona ac reditus fundati sunt.

VI. Obscurè, & intricatè loquitur, quòd *ius transferendi personas*, &c. Dicam itaque ipsi quidnam Societati tribuat dominium, possessionem, ac iura agendi Collegiorum respectu: Quia nimirum Collegia, & pro quibus ea fundata sunt Scholastici, propriè dicta membra sunt Societatis, cuius Caput, cùm plena potestate tam personas gubernandi, & de loco in locum transferendi, bona item Collegiorum administrandi, constitutus est Præpositus Generalis. Inde enim sequitur, quòd dominium & possessio Collegiorum, & adhærentium bonorum, pertineat ad Societatem, sicuti membra pertinent ad corpus, eorumque facultates tribuuntur corpori. Homo enim, & corpus hominis dicitur ambulare propter pedes, res apprehendere, propter manuum digitos. Sequitur quoque quòd Societas, eiusque Præpositus Generalis ius agendi habeat, si Collegium v.g. spoliatum, aut Societati ereptum sit: Idque non tantùm, dum Scholastici, qui proximè spoliati, aut è Collegio eiecti sunt, in viuis existunt, sed etiam si omnes mortui fuerint: Eò quòd, Collegium, vti ipsemet fassus est Astrologus, Societati incorporatum fuerit: siquidem ea incorporatio durat, quamdiu in Societate Scholastici aliqui viuunt, ratione quorum, Societas ius ad Collegia illa retinere, eaque ratione Præpositus Generalis actionem instituere potest.

CENSVRA XV.

FOl. 134. n. 88. ita loquitur Astrologus: *Adhuc alio argumento conatur probare Opponens* (p. 318. Iustæ defens.) *Ordinem spoliatum non esse: Quando ijdem possessores manent; spoliatio non accidit: atqui Monachi deficientes à Fide, permanserunt possessores Monasterij & bonorum eius: Igitur, &c. Sed simpliciter neganda est Minor: Licet enim non intersit ad possessionem, iustène, an iniustè quis* 78.

possi-

poſſideat ; vt tamen locum habeat poſſeßio,
opus eſt vt res ſit talis, quæ iure non ſit pro-
hibita poßideri , adeoque habeat iuris ad-
miniculum, Bartolus *l. 1. nu. 6. ff. de acqu.*
poſſeſſ.&c. Et paulò poſt: *Res igitur ſa-*
cra, qualis eſt Prælatura, titulus, vel cano-
nia monachalis , cum omnibus adhærenti-
bus ſibi fructibus , bonis , ac prouentibus,
cùm iure poſitiuo non minùs ſit prohibita
poßideri ab hæretico vel apoſtata , quàm à
laico, c. cauſa, c. ſuper. de verb. ſignif. ſequi-
tûr, talem non niſi occupatorem, vel deten-
torem appellandum eſſe, licet corpore & a-
nimo rem poßidere nitatur. In quo caſu
Abbate vel Epiſcopo facto hæretico, Mona-
ſterium aut Eccleſia de iure vacat, Hoſt. in
ſumma, ne ſede vacante : Et fatetur Oppo-
nens fol. 367. *Apoſtatas ipſo iure inhabiles*
factos eſſe.

Vt ea , quæ in hac , & poſteriore
cenſura dicenda erunt , plenè intelli-
gantur, ante omnia ſtatum quæſtionis
aperire debeo. In quinta ratione ex
ijs , quæ in Epiſtolam ad Oratorem
Cæſareum irrepſerant, hæc verba cō-
tinebantur, quòd *ratio, qua vigore Pacis*
Religionis , ſua Maieſtas reſtitutionem A-
catholicis iniungit , ſuper ſpolio poſt pacem
Paſſauienſem commiſſo fundetur. Ad hoc
reſpondit Theologus, quem ego de-
76. fendendum ſuſcepi , in iudicio ſuo:
Diſtinguendum eſſe inter ſpolium
propriè , & ſpolium impropriè acce-
ptum. *Si loquamur,* inquit, *de ſpolio pro-*
priè dicto , id eſt legitima deiectione alicu-
ius ex præhabita poſſeßione, non eſt verum,
quòd ratio iniungendi Acatholicis reſtitu-
tionem bonorum Eccleſiaſticorum ſuper
ſpolio fundetur : nimis enim illa ratio re-
ſtricta eſſet. Enumeratque varios ca-
ſus , in quibus Monaſteriorum reſti-
tutio, vi Edicti Cæſarei, fieri debeat,
in quibus propriè dictum ſpolium nō
accidit , & inter eos iſtum, ſi Mona-
chi & Prælati regulares à Fide Catho-
lica deficiētes, Eccleſias & Monaſte-
ria detinuerant. Hoc in caſu, dicebat
Theologus , propriè loquendo, ſpo-
lium non accidit: *Sin* autem *loquamur*
de ſpolio impropriè dicto, id eſt , quauis ab-
latione & vſurpatione bonorum, ac iurium
alterius, in pleriſque Germaniæ locis , non
tam ipſi Ordines Monaſterij ac bonis ſuis
per alios ſpoliati , quàm ipſa Eccleſia vni-
uerſalis.

Hanc doctrinam , tanquam verè
iuridicam defendi Iuſtæ defenſ. ca. 8.
mem. 1. & 2. Atq; idcircò poſui iſtam
aſſertionem, pag. 318. *Quando Abbas,*
vel Præpoſitus regularis vnà cum Conuentu
ſuo, in hæreſin lapſi ſunt , Monaſterium re-
tinentes, alij eiuſdem Ordinis Monachi aut
regulares Canonici ſpoliati non fuerunt.
Probatur primò : Nam qui non poßident,
ſpoliari non poſſunt , cùm priuatio formam
præſupponat. At verò Monachi v. g. S. Bene-
dicti Montis Andex non poſſederunt bona
& iura Monaſterij v. g. Lorchenſis: Ergo, ſi
ponamus , Abbates & Monachos Monaſte-
rij Lorchenſis à Fide Catholica defeciſſe,
Monachi Andecenſes ſpoliati non fuerunt:
Sed neque alij , qui eiuſdem Ordinis ſunt,
cùm omnium eadem ſit ratio : Et ſolùm in-
ter ſe conueniant in regula inſtituti, & ha-
bitu, non item in bonis ac iuribus , Societa-
tem vnius Corporis , ſub vno Capite habe-
ant. Hanc probationem oppugnat
Aſtrologus fol. 133. num. 84. Sed ni- 76.
hil adfert, quòd non ſuprà refutatum
ſit.

Altera mea probatio fuit: *Quando quidem possessores manent, spoliatio non accidit. Atqui Auctor libelli fatetur, Monachos deficientes à Fide, permansisse possessores Monasterij & bonorum eius: Igitur spoliatio non accidit.*

Ad hanc argumentationem respõdet Astrologus, eo num. 88. *Simpliciter neganda est Minor*: rationemque negationis suæ adfert, quia hæretici illi atque apostatæ, post lapsum, desierunt esse possessores Monasteriorum, &c. Quippe ab eo tempore, incapaces possessionis rerum sacrarum: Eamq; responsionem suam stabilire volens, mox adijcit: quia in hoc *casu Abbate, vel Episcopo facto hæretico, Monasterium vel Ecclesia de iure vacat.*

Hæc ideo tantùm adfero, vt Astrologi imperitia denuò appareat: Primò quidem, quòd hoc ipso loquendi modo, *Monasterium vel Ecclesiam de iure vacare* apertè insinuet ac fateatur, non vacare de facto, adeoque Monachos aut Clericos in hæresin lapsos, qui antè possederant, mansisse in possessione. Idque adeò verum est, vt, si alius Clericus canonicam Ecclesiæ eius institutionem adeptus, propria auctoritate, possessionem quippe non vacuam, intraret, puniendus foret, tanquam à seipso intrusus, sicuti etiam pag. ea 318. declaraui.

Secundò in eo imperitiam ostendit Aduersarius, quòd non distinguat inter possessionis acquisitionem, & acquisitæ seu habitæ retentionem. Licet enim hæreticus manifestus ecclesiastici beneficij, aut spiritualis tituli possessionem acquirere non possit, tamen acquisitam retinet, quamdiu ea destitutus non fuerit; quandoquidem nimis id inauditum, atque secundùm iuris terminos impossibile est, quod aliquis, qui possessionem rei animo & corpore habuerat, eam amittat, tametsi neque corpore neque animo in contrarium quid actum sit. Videri potest l. Quemadmodum. 8. & ibi Doctores, ff. de acquir. possessione.

Veruntamen non tam de imperitia, quàm de malitia arguendus est Astrologus: Ipse enim vt hîc traditam doctrinã occultet, paucula verba mea ex pag. 367. allegat, quibus videri possim, ipsius dicta de possessione per apostasiam amissa, approbasse, cùm tamen, si verborum contextus integer legatur, statim appareat, longè aliud me voluisse; Dixi enim. *Cum primùm Ecclesiarum Prælati, aut beneficiarij à sede Catholica defecerũt, ipso iure titulis beneficiorum priuatos esse: propterea quòd Ecclesiæ, prælaturæ, & beneficia per eos regi & administrari debeant, qui iuxta fundationem, & fundatoris voluntatem, ad id habiles sint, constet autem, Apostatas à Fide ipso iure inhabiles factos esse*, intellige, vt regant, administrent legitimè, titulumq; canonicum retinere possint, siue à se abdicare non teneantur.

CENSVRA XVI.

FOl. 163. n. 93. hæc verba leguntur: *Negamus, spoliari & rei possessione* 80.
per vim deijci, vnum idemq; esse apud Canonistas in hac præsenti materia de restitut.

stit. spoliatorum. De iure enim Canonico, habemus interdictum recuperandæ magis largum, ait Abb. c. pastoralis, de causa poss. & propriet.

Et n. 94. post allegatum tex. c. redintegranda 3. causa 3. q. 1. hæc adiunxit Astrologus: *Ex textu duo colliguntur: Primò, quòd explicati* (legi debet *spoliati*) *etiam dicantur in materia ecclesiastica restitutionis spoliatorũ, qui dolo, captiuitate, aut quascunq; iniustas ob causas, bona sua perdiderunt: facit Gratianus noster ibid. Secũdum est, quòd huiusmodi dolo, metu, violentia, vel alia quacunq; iniusta de causa spoliati, ante omnia sint restituendi. Vnde valde roboratur præallegata Beroi sententia. Atq; hoc vnum nobis euicisse sat esto, sub nomine spoliati, qui ante omnia restituendus sit, de iure Canonico venire quoque eum, qui per quamcunq; iniuriam bonis ecclesiasticis exspoliatus fuit.*

82. Et fol. 137. n. 95. *Ex quibus omnibus iterum inferimus, Opponentem contra Religiosos Ordines pugnando, & negando eisdem, aut Ecclesiæ vniuersali cõpetere, quòd vulgò notum est, spoliatum ante omnia esse restituendum, nisi corporalis antecesserit violentia, cui remedium per interdictum vnde vi possit adhiberi, inferimus, inquam, illum denuò pro hæreticis egregiè depugnasse, & sacros canones, præsertim c. redintegranda, adeoque causam vniuersalis Ecclesiæ pro recipiendis bonis Ecclesiasticis, non leuiter vulnerasse.*

Et paulò post: *Neque est quæstio, an Ordines Religiosi propriè, vel impropriè spoliati fuerint: sed quærimus, an omnis, siue propriè, siue impropriè, tamen iniustè, spoliatus, ante omnia sit restituendus. Nos demonstrauimus, quòd sic: Oppositor ex phrasi negat, adeoq; Cæsarem, eiusque Decretum arguit iniustitiæ, vt infrà dicemus, quòd Ordines antiquos ante omnia restituendos decreuerit, cùm tamen nemo debeat ante omnia restitui, quàm spoliatus.*

Arbitrari licet, Aduersarium omnes hic ingenij sui vires collegisse, & quæ fraudum artificia reperire potuit, congesta Lectori proposuisse. Ea breuiter recensebo: I. Æquiuocatione fallit legentem. Quod enim ego, cum Theologo illo, de spolio propriè dicto docueram, idem esse spoliari, & possessione per vim deijci (pag. 314. Iustæ defens.) Aduersarius accipit, quasi à me dictum fuerit generatim de omni, etiam impropriè dicto, seu ficto spolio, vti mox clarius patebit, & infrà cens. 18. iterum explicabitur.

II. Egregiè decipit, statum quæstionis mutando: Ita enim rem totam proponit, ac si negassem, vi Cæsarei Edicti, restitutionem ante omnia Religiosis ijs Ordinibus faciendam esse, eò quod per violentiam se deiectos fuisse ostendere non possint: Ideò copiosè fol. 136. & seqq. contendit, non tantùm eos, qui per vim, possessione exciderunt, sed etiam, qui per metum, dolum, & quamuis iniuriam, secundùm ius Canonicum, restituendos esse. Hæc autem extra propositum, & totũ in controuersiæ limites ab Aduersario afferri, vel inde liquet, quia tum alias passim, tum allegata pag. 318. expressè docui, Ordinem, & Religiosos Ordinis qui nunc in viuis sunt, nunquam possedisse Monasteria, & bona Ecclesiastica, 79.

quæ

quæ restitui debent. Itaque manifestum est, cur ipsis restitutio de iure fieri non debeat, rationem me reddere non potuisse, quia non per vim, sed per aliam iniuriam possessione exciderunt: Cùm ex ipsis terminis appareat, eos qui nunquam possederunt Monasteria, sed neque sunt hæredes, aut successores possidentium (prout hæc omnia declaraui) non tantùm per interdictum *vnde vi*, quod propriè spoliatis conuenit, sed neque per aliud vllum possessorium interdictum, etiam si sit largissimum c. *redintegranda*, restitui posse, aut debere. Quamobrem Aduersarius nullam paginam, aut literam allegat, ex qua colligi possit, restitutionem Monasteriorum me ex hac causa, quòd per vim deiecti non fuerint negasse.

III. Fallit Astrologus tum petitione principij, tum copulando ea quæ diuisa esse debent: Coniungo autem has duas fallacias, quia etiam ipse paucis verbis, & quidem artificiosè
80. admodum, coniunxit fol. 136. nu. 93. *Eadem est ratio* (quæ mulieris à marito recedentis) *in deficientibus à Fide Religiosis, qui se, suaque Ordini, & Ecclesijs subtraxerunt: quia licet manserint in detentione Monasterij, priuarunt tamen Ecclesiam & Ordinem sua possessione, hoc ipso, quòd iam nec Ordinis, nec Ecclesiæ, sed priuato nomine duntaxat, adeoq; mutato titulo seu causa Monasterium occuparunt.*
81. Et fol. 137. n. 95. *Cùm igitur Ordines antiqui, & Ecclesia vniuersalis notoriè taliter* (videl. per dolum, metum, aliamve iniuriam, etiam nulla interueniente violentia) *spoliati fuerint Monasterijs & Episcopatibus, sequitur eosdem ante omnia, ex quacunque tandem iniusta causa fuerint priuati, restituendos esse.*

Videmus hic primò, quòd quæstionis principium assumat, siue id quod sæpe negatum fuit, videl. quòd Ordines spoliati fuerint, tanquam confessum, indubitatum, imò notorium ipse astruat. Secundò, quòd Ecclesiam vniuersalem cum Ordine in eisdem propositionibus copulet, inquiens, per defectionem Monachorum, aut Clericorum à fide, alijsve modis, etiam sine vlla violentia, Ecclesiam & Ordinem spoliatum fuisse. Si enim neges, inferet ipse, Ergo Ecclesia vniuersalis spoliata non fuit, consequenter nec restitui debet. Sin autem affirmes, inferet ipse: Ergo Ordo spoliatus fuit: at verò spoliatus, & quidem ante omnia restitui debet. Euitabo autem fallaciam, & dicam, sicuti in Iusta defens. pag. 319. Ordo spoliatus non fuit, quia nō erat in possessione: Congregatio Regularium spoliata quidem fuit, sed quia cum alijs eiusdem Ordinis, siue regulæ ac habitus Religiosis, vnam Ecclesiam seu corpus, sub vno communi Capite, non constituit, ideo Ordo spoliatus, aut possessione, quam nunquam habuit, excidisse, dici haud potest. At verò Ecclesia vniuersalis per defectionem Monachorum aut Clericorum à fide, & inde subsecutas rebelliones ac subtractiones, spoliata fuit, ideoque per Cæsaris authoritatem restitui debet. Ita enim expressis verbis docui in Iusta defens. pag. 319. rationem adijciens: *Si enim aliquis ratione* 81.

ctione possessionis suæ, ad iura soluenda obligatum se professus fuerit, postea verò soluere contumaciter recuset, is spoliare censetur eum, cui se obligatum profitebatur, c. querelam 24. de elect.

Aduertere etiam potest Lector iuris peritus, quàm inscitè Aduersarius eod. nu. 93. ostendere conetur, Monachos aut Clericos per recessum à Fide, amisisse possessionem Ecclesiarum ac beneficiorum suorum, *hoc ipso, quòd iam nec Ordinis, nec Ecclesiæ, sed priuato nomine duntaxat, adeoq; mutato titulo seu causa, Monasterium occupârunt.* Quanta hîc inscitia cum malitià iuncta? Legisse debuisset, quod habetur in l. 3. §. Illud, ff. de acq. poss. *A veteribus præceptum est, neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse.* Mutaissent autem illi sibi ipsis causam possessionis, si, vt Aduersarius indoctè ait, deficiendo à Fide, iugumque & obedientiam Ecclesiæ abijciẽdo, *Monasteria occupassent.* Et quomodo, obsecro, rem aliquam quispiam occupare potest, cui ipse pedibus insistat? Occupatio enim factum requirit, & sine facto eam intelligi, possibile non est. Procuratorem, siue eum qui alterius nomine possidebat (quod inscitè
181. fol. 136. loco argumenti adducitur) possessionem interuertere, eaque dominum priuare, extra dubitationem est, sed nihil id ad propositum facit.

IV. Lectorem fallere vult Aduersarius eo sophismate, quod est *à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter.* Negaueram cum Theologo illo, totum Edictum Cæsareum, tanquam ratione ac fundamento niti spolio (propriè dicto) quandoquidem multorum Monasteriorum, quorum possessionem tempore Passauicæ transactionis habuerant Catholici, restitutio ex causa propriè dicti spolij peti non potest. At verò Astrologus ita rem proponit, ac si simpliciter & absolutè docuissem; Monasteriorum eorum restitutionem (& quidem *ante omnia* sicuti ipsi loqui libuit) peti non posse, nisi tale spolium, videl. per violentam deiectionem acciderit: Cùm tamen oppositũ huius clarissimè docuerim pag. 315. Iustæ defens. *Extra controuersiam est, vigore Edicti Cæsarei, multa Monasteria, sacra Collegia, aliaq; bona ecclesiastica restituenda esse, tametsi actio de spolio* (intellige de propriè dicto & vero spolio) *intentari non possit. Nam aliquando Religiosi alijque Ecclesiastici, cùm à Fide Catholica defecissent, Ecclesias & bona Ecclesiastica malè retinuerunt, quæ ad acatholicos successores deuoluta sunt. Aliquando verò Religiosi, seu Ecclesiastici Ecclesias & bona ecclesiastica, vel metu cogente, vel pecuniæ promissæ cupiditate deseruerunt, & Acatholicis sponte tradiderunt: Aliquando Monachi & Ecclesiastici spoliati & eiecti fuerunt, sed spoliatores postea Ecclesias & bona ecclesiastica ad particulares quoslibet successores venditione, donatione, &c. transtulerunt. In quibus casibus, vigore Cæsarei Edicti, conformiter Paci Religionis, restitutio bonorum fieri debet, non actione ex spolio, sed ex alijs possessorijs iuris remedijs, prout apud Iuroconsultos notissimum est.*

V. Fraus, & quidem admodum perniciosa, in eo versatur, quòd quæ sophisticè, & falsè proposuit Astrolo-

gus, ad calumniam postea applicat, quasi ego Edictum Cæsareum, restitutionem Monasteriorum imperans, alicuius iniustitiæ aut defectus arguerim, prout hîc indicat n. 95. & infrà
181. fol.185.n. 10. dicamque cens. 18. vbi etiam declarabo, quo fine seu decipiendi proposito, ex doctrina August. Beroi, spoliatum quemcunque, tametsi per violentiam deiectus non sit, *ante omnia* restituendum esse, tam hoc, quàm eo in loco, Astrologus ostendere conatus sit. Videat etiam Lector quæ infra dicentur cens. 32.

CENSVRA XVII.

82.n.96 FOl.138.in princ. *Dictum Opponentis* (pag.483.484. Iustæ defens.) inquit Astrologus, *esse contra omnes leges, canones, & Iureconsultos: Nam l.1.§. 24.ff. de vi & vi armata, siue autem corpore, inquit Vlpianus, siue animo possidens quis deiectus est, palàm est eum deiectum videri. Idcircò si quis de agro suo, vel de domo processisset, nemine suorum relicto, mox reuertens prohibitus sit ingredi, vel si quis eum in medio itinere retinuerit, & ipse possederit, vi deiectus videtur. Hac ibi: Per violentiam autem amittitur possessio, siue quis corpore expellatur, siue veniens non admittatur, ff. de acqu. possess. l. clam, §. Qui ad nundinas*, &c. Et paulò post: *Discursus quoque, quem ibi* (p.484. Iustæ defens.) *format, quòd spoliatus nequeat spoliari, prorsus est impertinens: Id n. non quæritur: Sed quæstio est, an qui ad suũ non admittitur, spolietur. Neque enim Ordines antiqui animum vnquam deposuerunt (vt supponitur ex aduerso) recipiendi sua Monasteria.*

Inanes hic iterum deceptiones. Dicam inprimis, quidnam ea pag. 483. 484. disputatum fuerit. Dixerat Auctor libelli, cuius inscriptio *Disceptatio*, &c. *Tam qui vi de suo deijcitur, quàm qui ad suum non admittitur, spoliatur: Ergo si Monachis, seu potius Ordinibus, reditus ad Monasteria Ordini quæq; sua attributa, intercluditur, spoliantur: Et quidem ab eo, à quo redire prohibentur.* Ad hanc ratiocinationem respondi: *Tametsi propositio maior, secundùm iuris terminos, vera non sit: Nam qui spoliatus est, postquã animum præualendi deposuit, possessionem amisisse censendus est, & ideo dum non admittitur, non spoliatur: sicut enim cæcum excæcari impossibile est; ita & spoliatum spoliari, attamen in gratiam Scriptoris, ponamus esse veram.* Et paulò post: *Ideo esto vera maior; Minorem, quòd Monachi prohibeantur ad Monasteria sua accedere, eorumq; possessionem capere, dico esse falsam. Imò tãtùm abest, vt à Monasterijs suis prohibeantur, vt iam multa Monasteria, quæ antiquis Ordinibus iure actionis debita non sunt, Cæsareis mandatis assignata fuerint.*

Apparet hic primò; Frustra, & tantùm perturbandi Lectoris causa, leges illas ab Astrologo adductas fuisse. Siquidem, quod in ijs legibus habetur: Si quispiam absentis, qui neminẽ sui loco reliquerat, possessionem ingressus sit: isq; reuersus ingredi prohibeatur, ab eo tempore deiectũ censeri, nemo vnquam in dubium reuocauit: Sed ea propositio maior, *Qui ad suum non admittitur, spoliatur*, ita indefinitè, & quasi vniuersaliter allata, secundùm iuris terminos dicebatur esse falsa: Nam interdum aliquis ad

rem suam non admittitur, qui eius possessionem nunquam nactus fuit: Interdum verò, qui in possessione fuerat, ea priuatus est, vel quia repulsus, vel quia ad recuperandum accedere non ausus, iuxta l. 3. §. sed etsi, ff. de acquirenda possess. *Si quis nuntiet, domum à latronibus occupatam, & dominus timore conterritus noluit accedere, amisisse eum possessionem placet.* Quòd si hic ipse dominus postea in domum suam ingredi volens, prohiberetur, nemo sanus eum spoliari diceret: quia spoliatus spoliari non potest.

Secundò apparet, decipiendi tantùm causa dixisse Astrologum, quæstionem pag. 484. in eo fuisse versatam, *an qui ad suum non admittitur, spolietur*: Cùm tamen de hoc disputare noluerim, sed dixerim, *Esto vera ea maior propositio*: Minorem esse falsam, quòd ad Monasteria *sua* (ita appellare libuit Auctori illi, quia pro eiusdem Ordinis Religiosis olim fundata erant) accedere ipsi prohibeantur.

Tertiò apparet, fallaciter verbis ijs, *vt supponitur ex aduerso*, significare voluisse Astrologum, ideo me circa maiorem eam propositionem dubium mouisse, quia existimarim antiquorum Ordinum Religiosos recuperandi Monasteria animum deposuisse, & ideo, tanquam qui iam spoliati sint, spoliari non posse, si ea recipere volentes prohibeantur. Quę est mera impostura, prout ex verborum inspectione & collatione cuilibet manifestum fiet.

CENSVRA XVIII.

FOl. 138. n. 98. sic legitur: *Vtrum tota dispositio Edicti Cæsarei innitatur huiusmodi spolio à nobis explicato, an verò Paci Religionis duntaxat, inter nos controuertitur. At licet in Pace Religionis §.* Dieweil aber etliche Stånd / *ne verbulo præcipiatur restitutio facienda bonorum Ecclesiasticorum, ponamus tamen in gratiam Opponentis, in Pace Religionis expreßè contineri huiusmodi propositionem: Omnia bona ecclesiastica à tempore Passauicæ transactionis iniustè occupata, vel occupanda, sunt restituenda: Imperator non poterit Edictum restitutionis promulgare, neque Commissarios pro executione deputare, nisi constet de facti specie, aliqua nimirum huiusmodi bona fuisse ablata. Vnde non est verum, quod ibi* (pag. 314. Iustæ defens.) *asserit Oppositor, Ad id solùm generales Commissarios executores Cæsarei Edicti attendere solere & debere, num Prælati seu Ecclesiastici, quòd attinet ad Monasteria & bona quæ Imperio immediatè subiecta non sunt, eorum possessionem tempore transactionis Passauicæ habuerint, nécne: sed attendere debēt vel maximè, an Ecclesiastici huiusmodi possessionem tempore transactionis Passauicæ habitam, per quascunque iniustas causas amiserint: adeoq; an fuerint bonis suis spoliati: nam qui nunquam fuit exspoliatus, neque generalibus Commissarijs opus habet, neque Edicti Cæsarei executione. Et sic Edictum generale innititur quidem Paci Religionis, seu potiùs iuri naturali, gentium, & scripto, veluti legi, sed non soli. Vnde sicut conclusio innititur propositioni Maiori* 83.

& Minori, & neutri soli, etiam in enthymemate, nisi altera propositione subintellecta: Ita Cæsareum Edictum, veluti quædam conclusio innititur legi naturæ, &c. per Pacem Religionis non conuulsæ, veluti Maiori, spolio verò, seu speciei facti tanquam Minori.

83. Tametsi quæ hoc fol.138. & pluribus antecedentibus ab Astrologo fusè disputata sunt, nihil penitus ad cõtrouersiam nostram pertineant, quia tamen ipse in his referendis, tanquam causæ suæ subsidium magnum adferant, prolixus est, ideo declarabo quid veri aut falsi eius propositionibus insit, vt denique appareat hominis vanitas, quòd omnia frustra, & solùm Lectoris perturbandi causa, allegata fuerint.

Animaduertendum, prout ex iure notum est, quòd Actoris libellus duo in se necessariò contineat, *petitionem* eius quod iure debetur. quæ & *conclusio* libelli dici solet: Et *causam*, rationem, seu *fundamentum* petendi: Ex: gratia: *Peto mihi rem à Titio restitui, quia mea est*. Vel in actione personali, *Peto mihi equum à Titio tradi, quia à me emptus est, pretiumq; solui*, aut *fides mihi de solutione habita est*.

Porrò causa ista, fundamentum, siue principium petitionis & conclusionis, continet in se duas propositiones, quarum vna, veluti *Maior* ad ius pertinet, altera, veluti *Minor* ad speciem facti: *Iure constitutum est, vt, si quis rem emerit, post pretij solutionem, aut fidem sibi habitam, res empta tradi debeat: Ego autem*, &c. *Itaque peto*, &c. Veruntamen sicuti in alijs ratiocinationibus vna propositio, præsertim *Maior*, sæpe non exprimitur, quia virtute continetur in altera, ideoque *enthymema* vocatur: *Titius homo est, ergo discursiuus*: Ita etiam frequenter, in libello, post solam facti speciem propositam, in qua iuris principium virtute continetur, petitio seu conclusio annectitur: Idque ideo etiam, quia ius, quippe notum, probari non debet, sed sola *facti species articulari* & probari.

Porrò cùm Iudicis sententiam Actoris libello conformem esse oporteat, ideo etiam Iudex pro Actoris petitione pronuncians, causa & fundamento eius niti debet, vt proinde quæ de actoris libello dicuntur, etiam ad Iudicis sententiam, aut decretum, iuxta petitionem Actoris editum, transferenda sint.

Iam res clariùs intelligetur: Quæstio erat, Edictum Cæsareum, per quod bonorum Ecclesiasticorum restitutio Acatholicis, secundùm Catholicorum petitionem, imperabatur, quanam ratione ac fundamento niteretur. Theologus ille, cuius sententiam in Iusta defens. approbaui, respondit, falsum esse, quòd totum Edictum propriè dicto spolio nitatur. Hoc eius respõsum pluribus verbis, imò paginis refutat noster Astrologus; sed frustra: eò vel maximè, quia spolium ipse accipit latissimè & impropriissimè, pro qualibet possessionis amissione per iniuriam, vti suprà indicaui.

Deinde ridiculè suam qualem qualem in iure peritiam, tyro iste ostentat, dicendo: Edictum Cæsareum non

sola facti specie niti, sed etiam iure naturali, gentium, &c. Quis hoc ignorat verum esse, si theoricè res discuti debeat? At verò, cum & id notum sit, in specie facti, proposita in libello, aut Iudicis sententia vel decreto, contineri etiam iuris principiũ, nónne rectissimè, & vsitatissimè dicitur, petitionem, ac Iudicis sententiam, vel Edictũ fundari, aut non fundari super specie alicuius facti? Quare rectè ac iuridicè negauit Theologus ille, totum Edictum Cęsareum super vero spolio fundari: Alioquin enim, vi Edicti, nemo restituendus esset, nisi spolium ostendisset, quod falsum esse suprà declaraui.

Vlteriùs etiam in hoc errat Astrologus, quòd existimat, Edictum Cæsareum fundari super spolio, sicuti ipse accipit latissimè, vt tam verum, quàm fictum comprehendat, adeoque vult, Ecclesiasticos, si Monasteriorum horum recuperationem à Cęsareis Commissarijs executionis obtinere velint, occupationem iniustam ostendere debere. Sed inprimis memor non est, quod ipsemet suprà do-
80. cuit, fol. 136. num. 93. allegando verba Ioseph. Mascardi de probat. vol. 3. concl. 1321. n. 4. *Satis dicitur probatum de spolio, eo ipso, quòd appareat probatum de antiquiore possessione.*

Magnum etiam onus Catholicis siue Ecclesiasticis frustra imponit, ostendendi spoliationem, siue occupationem iniustam antecessisse, quam positiuè, & specificè ostendere, sæpe difficile est. Sufficit itaque demonstrasse pręsumptiuè, hoc solo ostenso, quod Ecclesiastici, qui bona ecclesiastica sibi restitui petunt, tempore transactionis Passauicæ in ipsorũ possessione fuerint. Tunc enim consequens erit, detentores illos hæreticos, laicos, nullo iusto titulo, sed vi, clam, aut metu iniusto interueniente &c. bona illa nactos esse.

Deniq; fallit Aduersarius, quando ita rem proponit, ac si in Iusta defensione dixerim, Edictum Cæsareum Paci Religionis inniti, secundùm hũc art. *Omnia bona ecclesiastica à tẽpore Passauicæ trãsactionis iniustè occupata esse restituenda.* Hoc enim nuspiam dixi, sed ita ead. pag. 314. locutus sum: *Edictum Cæsareum nititur Pace Religionis, maximè §.* Dieweil aber etliche/ *ex quo habetur, bona omnia Ecclesiastica, in quorum possessione Ecclesiastici tempore Passauicæ trãsactionis fuerunt, tametsi Imperio immediatè subiecta non sint, restituenda esse:* Et paulò post: *Ad id solùm Generales Commissarij executionis Edicti Cæsarei attendere solent, ac debent, num Prælati seu Ecclesiastici (quod attinet ad Monasteria & bona quæ Imperio immediatè subiecta non sunt) eorum possessionem tempore transactionis Passauicæ habuerint, néc ne.*

Nónne his verbis clarissimè significaui, Ecclesiasticis nequaquam id incumbere, vt occupationem iniustã probent, cùm dixerim, quòd ostensa sola possessione, quam tempore eius transactionis habuerant, ex articulis Pacis Religionis, maximè §. Dieweil aber/ obtinere debeant, restitutionemq; impetrare? Videatur infrà cens. 32.

CENSVRA XIX.

90. FOl. 144. princ. ex quinque paginis Iustæ defensionis, ab ipsomet in margine annotatis videl. pag. 80. 86. 139. 411. 502. in vnum contextum iunctis verbis, quibusdam tamen omissis & alijs ab ipso adiectis, ad inuidiam odiumque mihi conciliandum, tanquam mea hæc doctrina & sententia sit, ita scribit Panurgus iste: *Communiter loquendo, vtilius est Monachis, non tantùm singulis, sed etiam toti Congregationi, si in Claustris suis permaneant, & Patribus Societatis, (quorum operam adhibitum iri dubitari non potest) hanc prouinciam relinquant. Vbi enim sunt scholæ & seminaria, ibi consequenter etiam Collegia Patrum Societatis: cùm aliàs sacræ Cardinalium Congregatio decreuerit super Concil. Trid. sess. 23. c. 18. de refor. Si pro seminarijs reperiantur Iesuitæ, cæteris ante ponendos esse.* De his aliam censuram non fero, nisi quam in præfatione tuli, esse hunc allegãdi & fallandi modum ante hac non auditum, à nemine hominum vsurpatum. Itaq; Astrologus noster hac fallaciarum arte alijs omnibus verborum falsarijs, ac sophistis victoriæ palmam præripuit.

CENSVRA XX.

94. FOl. 145. nu. 4. ita scripsit Aduersarius: *Argumenti vim ponit Oppositor in praxi quadam Ecclesiæ, vnde & in append. fol. 10. prolixum catalogum texuit eiusmodi Monasteriorum translatorum. Circa quem obseruandum primò, quòd licet fol. 155. promiserit huiusmodi catalogum fore tantũ de Monasterijs Germaniæ, plura tamen intulerit ex Italia, Gallia, Hispania, & Hibernia. Secundò, quòd potuisset multò plura Monasteria per vtramque Germaniam numerare, quæ ab antiquis Ordinibus ad Societatem* IESV *translata fuere. Tertiò, malè concludit, quòd, quò plura fuerunt hucusque Cœnobia translata, eò, propter Ecclesiæ praxin, plura esse transferenda: nam huiusmodi ratio argumentandi tenderet paulatim ad omnimodam absumptionem Ordinum antiquorum: cùm potiùs inferri debeat, vt residuis parcatur, si tam multa fuêre translata. Porrò numerantur in eo catalogo minimùm 56. Monasteria, quæ Opponẽs computat inter Germaniæ Monasteria translata ab vno Ordine ad alium: quorum tamen nullum taliter translatum esse deprehendimus: Sed vel sunt extra Germaniam, vel manserunt in vno, eodemque Ordine, & translatio tantùm instituta fuit ab vno sexu ad alterum, nulla facta alienatione ab Ordine: vel demum ex Ecclesijs secularibus factæ sunt regulares: Idque communi iure, Gl. in c. statuimus 19. qu. 3. c. ad audientiam 5. de Eccles. ædif. vbi DD. communiter.*

Ad hæc respondetur; In primis, ex praxi illa translationis Monasteriorum, argumentum me aliud non duxisse, nisi quod est *à maiore ad minus:* nam ea ipsa pag. 155. quam Astrologus allegauit, ita locutus sum: *Monachis, quorum disciplina aut numerus diminutus fuit, ita vt per eos restaurari non posse videretur, ad alia Monasteria ablegatis, Monasterium ipsorum alijs Apostolicæ auctoritate traditum est, prout suprà ex*

S.Bona-

S. Bonauentura audiuimus. At verò in proposito casu longè minor difficultas est: cùm Monachis, aut Religiosis Ordinum antiquorum, si se opponere vellent, dici posset ipsorum non interesse, ius ipsos, actionemq; non habere, &c.

Ad alia quæ obijciuntur, ordine respondeo: I. Nihil in ea re vitij inesse, si plus aliquis prestet, quàm promiserat: Et verò satis significaui, catalogum illum me non contexuisse, sed aliunde mittendum expectare, quem proinde cùm annotationem illam pag. 155. scripsi, necdum videram.

II. Si plura Monasteria, quam numeraram ad Societatem IESV, Apostolicæ Sedis auctoritate, translata fuerunt, nō aliud inde sequi, nisi quòd catalogus ille Monasteriorum translatorum longior, & idcirco ad intentionem meam ostendendam efficacior esse potuisset.

III. Translationes Monasteriorū ideo me recensuisse, vt redarguerem eos, qui fundationes adeò, spectato iure naturali, &c. stabiles esse dicebant, vt causæ vix vllæ existere possint, legitimè transferendi, etiam per Apostolicæ Sedis auctoritatem.

IV. Si Monasterium Sanctimonialium, v.g. S. Benedicti, vnà cum bonis suis, transferatur ad eiusdem Ordinis religiosos viros, propriè dictam translationem, & incorporationem esse. Quod verò non sit alienatio ab Ordine indeterminatè accepto, vti Aduersarius significat, facilè concesserim: quandoquidem tale Monasterium Ordini incorporatum nunquam fuit, iuxta ea quæ suprà sæpius explicui.

V. Inter Collegia regularia, & Collegia secularia hoc discrimen est: Quòd regularia illa siue Monasteria, absque Sedis Apostolicæ licentia, non possint conuerti in habitacula, seu Collegia Clericorum seculariū, c. quæ semel, 4. causa 19. q.3. At verò ex Collegijs secularium Clericorum, fieri possunt regularia, idque in duobus casibus: I. est, si ipsi Clerici, quod olim non infrequens erat, religiosam professionem edere velint. Isq; est casus c. statuimus 3. causa 19. qu.3. II. Si Clericorum Collegium, collapsa penitus disciplina, reformari facilè non possit, multoque magis, si per mortem omnium, Collegium extinctum sit, potest in eo Episcopus Regulares instituere, arg. c. ad audientiam 5. de Eccles. ædific. vbi Abbas & alij.

Id verò non rectè Astrologus eod. num. 4. allegat, tanquam Abb. Panormitani dictum in cit. c. ad audientiam; *Episcopum de iure, quando subest causa, posse vel inuitis Clericis, ex Ecclesia seculari facere regularem.* Falsa est hæc doctrina, præsertim tam indefinitè posita: siquidem Episcopus, extra casus specialiter concessos, statum Ecclesiarum mutare, aut iuri quæsito derogare non potest. Quærit eo loco Panorm. cum Gl. ver. indulgemus, *ad quid valuerit hæc indulgentia*, seu licentia à Pontifice impetrata, vt Ecclesia secularis conuerti posset in regularem, cùm tamen Episcopus per se eam dare posset. Ad hanc q. duas

duas responsiones dat, quarum posterior hæc est: *Quia clericis illius Ecclesiæ inuitis hoc facere potest Episcopus, vbi aliàs non potuisset eis inuitis.* Addit verò postea, videri sibi, quòd talem mutationem instituere etiam posset inuitis Clericis, si ea peragatur absque ipsorum præiudicio, ita vt alteratio status locum habeat post mortẽ Clericorum. De hac doctrina Abbatis, num ea vera sit, an verò repugnet c. cum de beneficio, 5. de præb. in 6. & quæ ibi docent DD. huius loci non est disputare, cùm neque ad propositum nostrum inseruiat. Imò verò, si Astrologus has transferendi, ac mutandi fundationes licentiam multùm extendere velit, suis ipsemet dictis repugnare censebitur, quando alibi non semel obijcit, Fundatorum voluntates exactè obseruandas, & absque grauissima causa, mutandas non esse, fol. 149. nu. 17. & pluribus seqq. folijs.

CENSVRA XXI.

99. FOl. 147. nu. 11. Inscitè nimis loquitur Astrologus, vt clarè appareat, Canonistam non esse. *Colligo,* inquit, *licitum fuisse cuiuis Clerico, & Presbytero sæculari, concedere Monasterijs, intuitu religiosi status, decimas, oblationes, aliosque superfluos suæ parochiæ prouentus: Deinde, cùm olim eiusmodi Parochi & Sacerdotes Laici sacrorum Canonum lege tenerentur hospitalitatem exercere, quòd bene ac rationabiliter se facturos existimârint Ecclesiarum Pastores, si huiusmodi solicitudinem Parochorum, quos omnibus ac singulis horis ad Sacramenta ministranda promptos ac paratos esse conuenit, transferrent in mensam viciniores Abbatis, aliàs ad hospitalitatem ex regula obligati, & exinde meliùs ad eam absque querela exercendam instructi.* Et paulò post: *Quapropter solatij loco reputabatur, si vnà cum decimis, translato ad mensam Abbatis hospitalitatis onere, licuisset cuique Parocho priuatim viuere, & certis atque stabilibus prouenti bus in annos singulos gaudere.*

Plures hîc cumulantur imperitiæ, ac puerilitates: I. In Ecclesia licitum fuisse (& quidem, spectato communi iure, sicuti postea ait nu. 12.) secularibus Presbyteris ac Parochis, decimas, & alios prouentus transferre ad mensam Abbatis Monasterij. Cùm tamen omnes eiusmodi translationes, seu alienationes in sacris Canonibus seuerissimè Parochis prohiberi, atque vt irritas damnari, omnes nôrint, qui vel modicam rerum notitiam habent. II. Parochos & Presbyteros istos esse, *Sacerdotes Laicos.* III. Solatij loco reputandum, si Parochi, prouentuum suarum magna parte ad mensam Abbatis translata, hospitalitatem ipsi non exerceant. IV. Onus iustitiæ Abbatibus illis impositum esse, vt decimas & prouentus Parochiales, quas mensis suis incorporatas tenent, in hospitalitatis officium expendant.

CENSVRA XXII.

FOl. 151. nu. 21. ait Aduersarius: *Ad secundum membrum, (quod per huiusmodi translationes, non fiat fundationis mutatio,* 106.

mutatio, sed benigna tantùm interpretatio per epijkiam) *nescimus ferè quid respondere malimus, potiùs admiramur & ingemiscimus, in eius temporũ iniurias nos incidisse, vt eiusmodi prætextus ac palliamenta rebus excogitatis quærantur & affingantur.*

107. Et fol.152. n.22. *Qui asserere audet, verba seu literas Fundatorum in Monasterijs restituendis hodie deficere à recto, seu* (*vt loquitur S.Thom.2. 2. q.120.art.1.in corp.*) *esse contra æqualitatem iustitiæ; & per recessum à verbis, intentioni fundatorũ nos meliùs accommodari præterquam quòd id probare debeat, ipsum Pontificem Max. adoritur, Ordinibus antiquis Monasteria adiudicantem; arguit iniustitiæ Imperatorem, eiusq; Edictum Generale, & rescripta multiplicia, per quæ indefinitè Monasteria suis Ordinibus addicuntur: huiusmodi autem indefinitam æquiualere vniuersali, docent Logici: perstringit Principes Electores Catholicos, quorum consilio & assensu Edictum illud in Imperio promulgatum fuit; denique redarguit omnes locorum Ordinarios, ac Principes Germaniæ, qui Monasteria de facto, confirmatis nouis Abbatibus, assignarunt.*

Grauis hæc accusatio est: Ideò necesse est, vt obiectum accusationis, seu quidnam in Iusta defensione dictum fuerit, inspiciatur. Pag. ea 28. ita locutus fui. *Circa vltimas voluntates; ac pias fundationes, ob superuenientem aliquem casum, aut circumstantiarum mutationem, secundùm epijkiam, interpretationem facere, & idcirco materialem aliquã mutationem instituere, non ad plenitudinem potestatis supremæ, sed ad ordinariam potestatem Superioris pertinere.* Idque auctoritatibus ostendi. Postea verò adieci pag.25. *Accedit, quod in proposito casu nihil iuris alicui acquisitum auferatur, sicuti supra copiosè ostensum: sed cum omnes Religiosi, ac Successores eorum in Monasterio, mortui sint, Monasteriumq; de iure vacet; Ideò supremus Ecclesiæ Prælatus, seu Pontifex Rom. cum Cæsare, de eo disponit, sicuti maior Ecclesiæ vtilitas, Deiq; gloria postulare videtur.*

Ex his cadunt omnia, & in nihilum abeunt, quæ rhetoricè declamauit Aduersarius, neque aliud superest, nisi vt breuiter effusas ab ipso falsitates numeremus: I. *Rebus excogitatis palliamenta affingi*; cùm tamen nihil dictum fuerit, quod nõ communi DD. doctrinæ consentaneum sit. II. Me alicubi significasse, *verba seu literas Fundatorum hodie deficere à recto; Et per recessum à verbis, intentione Fundatorum nos meliùs accommodari.* III. Pontificem Maximum Ordinibus antiquis Monasteria adiudicare. IV. Argui iniustitiæ Imperatorem. V. Per Edictum Generale Monasteria suis Ordinibus addici. VI. Redargui omnes locorũ Ordinarios, &c. Omnia hæc falsa & conficta: Et quidem postremum eius dictum redarguunt, quæ scripsi pag.369. Iustæ defens. & sæpè alibi.

Iterum fol.153.n.24. inuidiosè ostendere conatur, ex Iustæ defens. doctrina consequi, quòd intuitu melioris boni, *citra iustitiam licebit omnia Monasteria* (*non tantum restituenda, sed etiam nunquam spoliata*, vti paulò ante dixerat) *paulatim in Seminaria, Scholas, & Collegia transferre.* Et ad margin. *Doctrina Opponentis deducit Ordines antiquos* 110.

quos ad interitũ. Mera impostura: cùm passim in libro Iust. defens. expressum fuerit, si Religiosi quilibet in Monasterio ius ac titulum sustentationis, per professionem acceperint, non posse id ipsis sine iniuria auferri; nisi propter delictum & contumaciam ita mereantur, pag. 8. pag. 181. & alibi.

CENSVRA XXIII.

129. FOl. 160. n. 38. accusat me Astrologus, quòd verba sacræ Congregat. Cardinalium (ex relatione P. Franc. Suarez) sincerè non allegarim pag. 86. Iustæ defens. Verba enim declarationis super Trident. sess. 23. cap. 18. de reform. ita se habere, inquit: *Ante omnia in Seminarijs conducendus est Grammaticus & Musicus, qui pueros instruant; &, si reperiantur Iesuitæ, cæteris anteponendi sunt.* Conferamus itaque cum his iustæ defens. verba, vt appareat, num declarationis illius verba sincere allegârim, néche: *Cùm sacra Congregatio,* dicebam, *decreuisset, quærendos esse Magistros, qui in seminarijs pueros instituant, adiecit: Si reperiantur Iesuitæ, cæteris anteponendi sunt.* Quid in hac allegatione peccaui? aut qua fraude vsus sum? Imò verò Astrologus hanc declarationem peruertit, quando mox subiunxit eo n. 38. *Debet itaque, iuxta mentem sacræ Congregationis, Iesuita esse Musicus, puerosq; instituere in arte Musica, qui vult in seminario cæteris anteponi.* Id verò ex verbis allegatæ declarationis nequaquam colligitur; cùm in sensu non copulato, sed diuiso dictum fuerit; *Conducendus est Grammaticus, & Musicus qui pueros instituant.* Et quare, obsecro, si tales reperiantur Iesuitæ ceteris anteponendi sunt?

CENSVRA XXIV.

FOl. 161. prope finem, scurriliter traducit Iustæ defens. Auctorem, 145. quia pag. sua 61. ex Romano Iurecons. referens intentionem Sanctissimi D.N. de Monasteriorum applicatione, hunc etiam articulum posuerit; *Vt aliqua eorum bona applicentur Communibus vtriusque sexus puerorum Scholis cum Catholicis ac pijs Ludimagistris, qui pueros doceant, ac in Catholica fide, & bonis moribus instruant.*

Non satis assequimur mentem (inquit Astrologus) *horum Auctorum* (IC. Romani, & P. Laymann) *An puellæ, quod credibile est, peculiares & separatos alumnatus, & quos, vel quales Ludimagistros, qui studiorum exercitijs præsideant, habituræ sint: Neque enim fas est opinari, viros præsertim Religiosos hanc in se prouinciam suscepturos, cùm etiam Clerici non debeant docere vllas mulieres, &c.* Nugę istæ sunt, & inanis loquacitatis verba: Si, vti rectè censet Aduersarius, Clericis, multoque magis Religiosis non conuenit puellas in Scholis docere; nónne hinc colligere debuit, alios Ludimagistros Laicos, eorundemque honestas & probas coniuges ad hoc munus conductum iri, qui pauperum filias in legendi, ac scribendi arte, vnà cum Catechismo, & bonis moribus instruant? Eadem nugacitas proponitur in Act. perduell. fol. 55. Et tam

eo in

eo in loco, quàm hic ſcurrilia adferuntur de virginum Ieſuitiſſarũ ſuppreſſione, & extinctione. Quæ plenè refutata ſunt in Antimel. fol. 209. & ſeqq.

148. CENSVRA XXV.

FOl. 162. n. 3. hæc ſcripſit Aſtrologus: *Non iuſtæ defendit Summũ Pontificem Opponens* (pag. 23. Iuſtæ defenſ.) *quando in tranſlationibus fundationum mutationem fieri negat, ſed per epÿkiam duntaxat, Pontificem interpretem vltimarum voluntatum conſtituit. Nam primò, non capio, quòd dicat nequaquam verum eſſe, quòd per eiuſmodi Monaſteriorum ad alium Ordinem, aut aliũ vſum pium tranſlationem, Fundatorum* (voluntas) *mutetur; quando tamen ibid. lin. penult. concedit, quòd in tali caſu Fundatorum voluntas cõmutetur; non, inquam, capio, quo pacto vna eademq́ꝫ voluntas commutetur, & tamen non mutetur. Deinde cùm ſecundùm epÿkiam, interpretationem duntaxat vltimarum voluntatum Summo Pontifici tribuit, non apparet, quid illi tribuat; quia interpretans vel declarans vnam rem nihil de nouo inducit, Abb. in c. ex parte n. 4. de conſuet. & in c. paſtor n. 3. de except. Et vſus epÿkiæ non eſt ſupremi Principis, ſed hominis priuati & legibus ſubiecti.*

Quæ pag. 22. vſque ad pag. 25. in Iuſta defenſ. clarè & diſtinctè tradidi, de induſtria inuoluit & deprauat Aſtrologus. Dixi primò; Defunctorum voluntates & pias fundationes à nemine mutari poſſe, prẹter ſupremũ Principem, qui in cauſis pijs & Eccleſiaſticis eſt Rom. Pontifex. Exinde intuli; tametſi fateamur (quod verum non eſt) per tranſlationem horum Monaſteriorum ad alium Ordinem, vel pium vſum, fūdatoris voluntatem mutari; eam ipſam tamen facultatem ad Summum Pontificem, & ſuo modo ad Cæſarem, Eccleſiarum omniũ Patronum pertinere; maximè cùm ſermo hic ſit, de Monaſterijs, & Eccleſiaſticis beneficijs, in quibus Ro. Pontifex (conſiderata etiam ratione Patroni, præſertim ſupremi) plenariam diſpoſitionem noſcitur habere; c. 2. de præbendis in 6. Et dixi de hac re Iuſt. defenſ. pag. 171. 172.

Dixi ſecundò; Circa vltimas voluntates, ac pias fundationes, ob ſuperuenientem aliquem caſum, vel circumſtantiarum mutationem, ſecundùm epijkiam facere interpretationem, non ad ſupremæ poteſtatis plenitudinem, ſed ad ordinariam Superioris poteſtatem pertinere; Atque ideò Epiſcopis quoque, cum hæredis & executorum conſenſu, competere poſſe.

Pag. verò 25. ad omnem tollendam dubitationem, adieci, quòd in propoſito caſu nihil iuris alicui acquiſitum auferatur; ſed cùm omnes in Monaſterio mortui ſint, idque de iure vacet, ad Rom. Pontificem, &c. pertinere, vt prouideat.

Si hæc dicta mea, cum verbis Aſtrologi cõferantur, mox plures falſationes eius ſe oſtendent. I. Falſum eſt, quod ait, falſum me eſſe, in caſu applicationis Monaſterij ad alium Ordinem, vel piam cauſam, Fundatoris voluntatem commutari. II. Falſum, quòd Romano Pontifici poteſtatem interpretandi tantùm, non item

mutandi (ex iusta causa) vltimas
Fundatorum voluntates tribuerim.
III. Falsum quoque, quod ait, secun-
dùm epijkiam interpretari vltimas
defunctorum voluntas ac pias dispo-
sitiones (quæ haud dubiè publici iu-
ris sunt) non ad Principem, sed pri-
uatum hominem pertinere. Videri
possunt quæ docui in Iusta defens.
pag. 176.

CENSVRA XXVI.

149. FOl. 163. & seqq. inuehitur Aduer-
sarius in Iustæ defens. Auctorem,
quòd ante q. 1. præamb. & fol. 23. 261.
263. docuerit, si Rom. Pontifex, cum
Cæsare, Monasteria ista, quæ ab hæ-
reticis restituenda sunt, ad alium Or-
dinem, aliámve piam causam trans-
ferat, id non per absolutam & extra-
ordinariam potestatem fieri, sed per
ordinariam, & sacris Canonibus cō-
formem: Eò quòd iura illorum, ac
bona vacantia sint; & ad Principis
dispositionem deuoluta. Hæc fuit eo
in loco à me tradita doctrina. At ve-
rò Astrologus antitheses suas adfert:
Quod *eiusmodi mutatio, non fiat per or-
dinariam, & Canonibus conformem Sum-
mi Pontificis Potestatem; quandoquidem
translatio in præsenti casu non est sacris Ca-
nonibus conformis. Idq; duplici ratione: I.
Ex parte prouidentis; quia Pontifex dispo-
nit, cùm tamen deuolutio non ad ipsum, sed
ad immediatum Superiorem facta sit. II.
Ex parte prouisorum, quia prouidit alijs
personis diuersæ qualitatis ac professionis,
quàm ius commune statuat; adeoq; per præ-
uiam suppressionem. Vnde necesse est recur-
rere ad plenitudinem potestatis absolutæ.
cùm Princeps legi non sit subiectus; maximè
quando alteri Ordini ius suum, & saltem
dominium subalternum in eiusmodi trans-
lationibus aufertur.* fol. 163. circa me- 149.
dium.

Et fol. 164. *Causa, ni fallor, legitima* 150.
*foret Ordinibus antiquis auferendi ius,
quod habent ad Monasteria restituenda, si
vocati recusarent laborare pro conuersione
hæreticorum; si necessitatibus Ecclesiæ oc-
currentibus subuenire detrectarent, nec alia
via superesset huiusmodi necessitates suble-
uandi. Ideoq; in suscepta defensione c. 2. rectè
dixit Auctor, Principem rem tertij auferre
non posse, quamdiu alia via Reipubl. subue-
niri potest. Idque docuit Menochius, &c.
Neque dissentit Rebuffus in suscepta defens.
allegatus, dum ait: Princeps de potestate ab-
soluta, ius tertij tollere potest; etiam sine
causa, etiamsi agatur de graui præiudicio:
Sed ista potestas absoluta est potestas, quæ
veriùs diabolica dicitur: Procedit enim à
potestate iniuriosa, & est contra legem diui-
nam, &c.* Et paulò post: *Vnde non im-
meritò D. Anton. de Petra cit. c. 24. n. 25.
scribit; quòd sicut Princeps summam ha-
bet potestatem, ita eam regulare debet se-
cundùm summam honestatem; &, si secùs
faciat, vtique potestas talis non absoluta, sed
dissoluta, & plenitudo tempestatis, non pote-
statis dicitur.*

Fol. 166. *Opponens pag. 230.* Iustæ 151.
defens. *apertè fatetur, quòd plenitudinem
potestatis absolutæ Princeps tunc exercere
dicatur; quando aliquid decernit contra,
vel potiùs supra leges vniuersales, in corpore
iuris contentas; præsertim, si etiam iuri a-
liorum deroget: Atqui in translatione Mo-
nasteriorum Pontifex Maxim. aliquid de-
cernit*

cernit contra, siue supra leges vniuersales, in corpore Iuris Canonici contentas, itemq; concordata Germaniæ, & antiquorum Ordinum religiosorum iuri derogat. Igitur, &c.

154. Eod. fol. 166. prope finem; *Respondetur* (inquit) *sacros canones nihil aliud esse, quàm ordinationes aut statuta Summorum Pontificum, Conciliorum & Sanctorum Patrum, seu leges positiuas corpori iuri insertas: in quibus, si quando mentio fit amplissimæ potestatis Pontificiæ in beneficia ecclesiastica, illud fieri non per modum legis & canonis, sed per modum narrationis, aut reseruationis: quæ reseruatio non est lex, cùm id reseruet, quod est supra legem. Et sic Papa vtendo plenitudine potestatis huiusmodi, exercet actum conformem suæ reseruationi, non autem conformem legi positiuæ seu canonibus: aliud enim disponunt leges, & aliud sibi reseruat Papa.*

Eiusmodi doctrinas ego passim in Iusta defens. damnaui, & Romano Pontifici secundùm sacros Canones, tanquam vniuersali Ecclesiarum Episcopo, & Ordinario omnium Ordinariorum, super beneficia ecclesiastica totius Orbis Christiani, in signum specialis priuilegij, plenam ac independentem potestatem conuenire edocui. Hæc itaque est inter vtrumque adhuc pendens controuersia; de qua disputare hic non est animus. Iudicet Lector, iudicent Ecclesiarum Prælati, iudicet ipsa Apostolica Romana Sedes. Videri potest c. 2. de præbendis in 6. vbi Gl. in 1. notando, Clem. vn. Vt lite pendente nihil innouetur.

Interim fatemur, si alicui ad beneficium ecclesiasticum ius quæsitum sit; aut si dispositio, vel collatio beneficij, iuxta Nationis cōcordata ad alium pertineat, quòd Romanus Pontifex derogare non soleat; imò nec iustè possit, per se & ordinariè loquendo. Quod verò ad hæc ab hæreticis recuperanda Monasteria attinet, frequēter quidem inculcat Aduersarius, Religiosos eos, de quibus nobis sermo est, ius quæsitum habere; Atque translationem ad alium Ordinem, piamve causam, Concordatis Germaniæ repugnaturam, vt proinde à Rom. Pontifice, vnà cum Cæsare, absque grauissima & rarissima causa, fieri non possit: sed hæc omnia falsa esse pronuncio. Videri possunt, quæ infrà dicam cens. 29.

CENSVRA XXVII.

FOl. 167. n. 5. hæc leguntur in Astro inextincto: *Num Opponens* (Iustæ defens. pag. 57. & 48.) *bene defendat Pontificem Maxim. nescio, quod in suo tractatu de moderna instituenda translatione Monasteriorum vacantium, allegat Vinc. Filliucium, ipseq; asserit, valde probabilem, & communiter ferme receptam esse sententiam Zabarellæ, quòd translatio bonorum vnius Ecclesiæ ad aliam Ecclesiam, vel pium vsum, facta per authoritatem Summi Pontificis, tametsi rationabili causa non nitatur, & Pontifex peccet, nihilominus translatio siue alienatio valeat. Ex quo infertur, inquit Nauarrus ibid. citatus, quòd Ecclesia cui applicatur vel vnitur per Papam res alterius Ecclesiæ, vel altera Ecclesia, sine iusta causa, salua conscientia, & sine peccato* 155.

eam retinere potest, licet Papa in vniendo & applicando peccasset; quia valet vnio seu applicatio, licet esset iniusta, id est, peccato obnoxia ex parte vnientis seu applicantis Papæ. Hæc ibi. Quibus verbis, Sanctissimum malè defendit (Opponens) *si intendit dicere, sibi sufficere, in sua sententia, dummodo Monasteria vacantia transferantur, vt iam bona conscientia per alios possideantur, siue Pontifex id fecerit ex rationabili causa, siue non. Quòd si vero, vti reuera credimus, hoc non intendit, opus erit, vt seipsum iam defendat; nam hæc opinio in doctrina ipsius non subsistit. Quod vt magis eluceat, inspicienda est ratio, quam cit. loco subiungit*, & *alibi confirmat*: *Ratio huius receptæ doctrinæ (inquit) reddi debet, quia bona Ecclesiastica, cum principaliter destinata sint ad cultum diuinum, censentur esse DEI, & Christi Domini, atque Ecclesiæ; atque ita propriè non alienantur, si ab vna Ecclesia ad alteram authoritate eius, qui Ecclesijs praeest, transferantur; cùm principalis intentio & dominium idem (quod est DEI, Christi Domini, atque Ecclesiæ vniuersalis) permaneat. Hæc ille: Superiùs è contra commendârat Opponens sententiam Lud. Molinæ, tom. 1. de Iust. disp. 142. n 7. dicentis, bona Ecclesiastica, quoad dominium, non solùm esse penes Ecclesiam vniuersalem, Christum Dominum, &c. sed etiam penes Ecclesiam particularem; per Ecclesiam particularem non intelligendo templi parietes, sed Communitatem cum suo Capite, hæc enim propriè capax est veri dominij.* Et mox: *Quare cùm Opponens hic admiserit cum Molina & alijs recentioribus, dominium bonorum alicuius Ecclesiæ particularis, primo esse penes Collegium loci; non videmus, qua ratione dicere potuerit, non esse propriè alienationem, si Pontifex vni catui dominium huiusmodi bonorum auferat, alteri Collegio tribuat; imo manere idem dominium, cum tamen immediatum dominium proximis dominis in hoc casu auferatur.*

Allegat hic Astrologus verba mea, quatenus decipiendi proposito apta sunt; dissimulat autem qua occasione, aut quo fine prolata sint; & quæ postea adiuncta, ex quibus omnis eius impostura detegitur, malitiosè subticet. Refutabam Iustæ defens. cap. 2. memb. 2. libelli Auctorem pag. 45. allegatum, qui imperitè scripserat de plenitudine potestatis Romani Pontificis, secundùm quam bona vnius Ecclesiæ particularis ad aliam particularem transferri possint: De ea, inquam potestate, adeò abiectè sensit Auctor ille, vt hæc verba edicere auderet: *Minus læderetur iustitia, vel charitas, si Princeps ex plenitudine potestatis auferret ab epulento superflua bona, quibus in DEI offensam, & proximi læsionem abutitur, quàm si fundatio in pium vsum destinata, ex bono fine ad meliorem conuerteretur.*

Huius doctrinæ refutandæ, veritatisque declarandæ causa docui I. Constantissimam esse Doctorum sententiam, quòd talis facultas bona vnius Ecclesiæ, ex causa rationabili, ad aliam Ecclesiam transferendi, Rom. Pontifici competat. II. Probabilem & fermè communiter esse receptam doctrinam Zabarellæ, Panormitan. Nauarri & aliorum, quòd translatio siue alienatio bonorum vnius Ecclesiæ ad aliam Ecclesiam, piúmue

piúmue vſum, facta per auctoritatem Summi Pontificis abſque cauſa rationabili, valeat, licet Pontifex transferendo peccet. Rationem reddidi: *Quia bona Eccleſiaſtica, cùm principaliter deſtinata ſint ad cultum diuinum, cenſentur eſſe* DEI, *& Chriſti Domini, atque Eccleſiæ: Et ita non propriè alienantur, ſi ab vna Eccleſia ad aliam, auctoritate eius qui Eccleſijs praeſt, transferantur; cùm principalis intentio* (Fundatorum) *& dominium idem, quod eſt* DEI, *Chriſti Domini, & Eccleſiæ vniuerſalis permaneat.*

Hæc autem omnia docui eo in loco ad Auctoris illius arguendam inſcitiam; nequaquam autem, quòd in transferendis his Monaſterijs plenitudinem poteſtatis Pontificiæ agnoſcerem, per quam ſeu iuſtè, ſeu iniuſtè, bona & iura vnius Eccleſiæ auferantur, & in aliam transferantur: Cùm ego, ipſo Aſtrologo teſte fol.
151. 164. n. 4. Aſtri inextincti, huiuſmodi tranſlationem à Pontifice non per abſolutam eius poteſtatem; ſed per ordinariam, ordinatam & legibus conformem, fieri, palàm edixerim. Et in eo ipſo mem. 2. pag. 51. & princip. pag. 52. *Ordinibus, per tranſlationem Monaſteriorum, &c. ad Seminaria, Scholas, nullum ius aufertur, cùm nullum habeant.* Et paulò poſt: *Fruſtra & inaniter ab Auctore libelli allegantur teſtimonia Doctorum, quòd ius quaſitum vni v. g. Eccleſiæ, auferri non poßit, & alteri dari* (ſupple ſine rationabili cauſa) *Cùm hæc vltro fateantur ij, quos oppugnat; ſed negant, ius competere Ordinibus; negant etiam cauſam iuſtam & rationabilem non adeſſe applicationis ad Seminaria, Scholas,* &c. Quibus poſtremis verbis etiam ratio indicatur, cur illa, de tranſlatione bonorum vnius Eccleſiæ ad alteram, cum ablatione iuris, à me diſputata fuerint; quia inde argumentum efficax duci poterat *à maiore ad minus:* Si Rom. Pontifex, ex cauſa rationabili tranſlationem & applicationem bonorum eccleſiaſticorum facere poteſt, ita vt Eccleſiæ particulari ius ſuum auferat; multò magis id efficere poterit in caſu noſtro, cùm nullum ius Ordinibus aufertur. *Cui enim licet quod plus eſt, licet vtique quod eſt minus,* reg. 63. in 6.

Ex his apparet, fruſtra omnia ac malitioſè obiecta fuiſſe ab Aſtrologo: neque opus eſt quidquam hic ampliùs admonere, niſi quòd poſtremis verbis ſuis perſuadere conetur Lectori, ex mea ſententia, in dicta bonorum ab vna Eccleſia ad aliam tranſlatione, dominium omnino idem permanere, adeoque nullam alienationem fieri: Cùm tamen eo ipſo mem. 2. pag. 48. in fine, alienationem ipſemet appellârim, quatenus videl. mutatur particulare dominium Eccleſiæ, cui ius ſuum aufertur. Addidi verò pag. 49. cùm principalius & vniuerſalius dominium, quod eſt DEI, Chriſti domini, & Eccleſiæ vniuerſalis, idem maneat, non eſſe propriè dictam alienationem: quia nimirum magis ad principale attendi ſolet, quàm ad id quod minùs principale eſt.

CENSVRA XXVIII.

158. FOl. 171. circa medium hæc habet Aduersarius: *Opponens ait* pag. 49. Iustæ defens. *quòd nec iusta est, nec valida alienatio, facta inuitis ijs, qui ius & dominium habent: Atqui Ordines antiqui dominium & ius habent ad Monasteria restituenda; consequenter ijs rationabiliter inuitis, facta ab Ordine alienatio nec iusta est, nec valida.*

Magna profectò hominis huius malitia est. Posteaquam doctrinam illam ex Nauarro in tract. de spolijs clericorum §. 3. tradidissem, si Pontifex absque causa rationabili bona vnius Ecclesiæ ad aliã Ecclesiam transferret, non quidem licitam, attamen validam fore translationem, alienationemque; quia, vti censura præced. explicaui, idem principale dominiũ manet; mox subieci: *Quamobrem rectè cit. loco obseruauit Nauarr. aliam rationem fore, si Papa res Ecclesiæ, sine iusta necessitate vel vtilitate transferat in Laicum, aut vsum aliquem profanum: talis enim alienatio nec iusta est, nec valida: cùm sit propriè dicta alienatio facta inuitis ijs, qui ius & dominium habent.*

Ex his vltimis verbis, quibusdam omissis, & dissimulatis alijs quæ antecesserãt, principium siue Maiorem propositionem, malitiosè statuit Astrologus: *Nec iusta, nec valida est alienatio facta inuitis ijs qui ius & dominium habent:* Et mox subiungit: *Atqui Ordines antiqui ius & dominium habent.* Qua in re dupliciter decipit: Primò, quòd cũ ego expressis verbis locutus sim de translatione ad Laicos, vel vsum aliquem profanum, ipse applicet translationi ad aliam Ecclesiam, piúmue vsum. Secundò, quòd ratiocinando aduersus me principium manifestò petat, id est, id quod ostendere deberet, tanquam certum aut confessum assumat; vid. Ordines ius & dominium ad Monasteria ista habere.

Eodemque sophismate petitionis principij frequenter Lectorem fallere, aut perturbare conatur: Vti, exempli causa, videre licet, fol. 172. circa finem, & fol. 173. vbi inter ratiocinandum tanquam certa assumit, I. Ordini S. Benedicti competere dominium subalternum in bonis horum Monasteriorum. II. Quod *eiusmodi dominiũ auferre absque sufficiente causa, & quasi pro libitu, foret in Ecclesia valde scandalosum.* III. *Sequerentur inde innumera mala; quia citra causas vrgentes, recederetur à sacris Canonibus.* Hæc omnia, tanquam indubitata sint, assumit Astrologus, atque exinde ita cõcludit: *Quocirca grauissimæ & ineuitabiles, vt ita loquar, requiruntur causæ, si Pontifex alicui quæsitũ ius, ac dominium rerum, absque propria culpa, velit auferre, si Canonum Sanctorum auctoritatem suæ post haberi iubeat, si denique quæ iure gentium firmata, imò quæ in ipsa naturali ac diuina lege fundata reperiuntur, supprimere & extinguere aggrediatur.* 160. 161.

Hi ipsi nimirum sunt errores, summatim hic repetiti, ad quos refutandos, pro Sedis Apostolicæ defendenda auctoritate, Cæsaris, Episcoporum, aliorumque, etiam minimæ Societatis nostræ conseruanda libertate, Iustam ego defensionem scripsi.

CEN.

CENSVRA XXIX.

161. FOl. 173. circa medium ita loquitur Aduersarius: *Certè si Concordata Germaniæ penitiùs intueor, video non esse vacua defensionis pro Cæsare Romano: Verùm, vt vis argumenti manifestior appareat, exscribenda priùs erunt nonnulla: Placet nobis, (ait Nicolaus V. Papa) super Ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque, prouisionibus*, &c. *Deinde subiungit totum c. Ad Regimen Benedicti XII. extrauag. de præb. & dignitatibus.*

Allegatis verbis Extrauag. Ad Regimen, subiungit Astrologus: *Ex quibus cùm manifestum fiat, prouisionem Monasteriorum tam exemptorum mediatorũ, quàm non exemptorum, quomodocunque vacantium, non ad Papam, sed ad inferiores Ordinarios, quibus prouidere incumbit, etiam iure transactionis specialis, deuolutam censeri, sequitur, quòd Pontifex Ordinarijs hoc ius dispositionis actiuæ, & consequenter Ordinibus antiquis ius dispositionis passiuæ, cum altero illo actiuæ, veluti suo correlatiuo, necessariò coniunctum, nisi in casu grauissimæ & necdum demonstratæ necessitatis, auferre non possit.*

Non opus esse arbitror, contra doctrinam hanc, de Monasteriorum istorum ad Clericorum Seminaria, Collegia, &c. translatione, tanquam Concordatis Germaniæ repugnante, pluribus disputare, cùm ipsamet, tanquam summorum Capitum persuasioni, ac consuetudini Germaniæ, Fideliumque sensui repugnans, absurditatem suam demonstret. Id vnicum dicam, quòd Astrologus hìc iterum principium petendo, sophistam agat. Nihil enim prorsus ex Germaniæ Concordatis, quod vel in speciem sibi faueat, producere potest, nisi quòd Nicolaus V. Pontifex in Bulla Concordatorum, cuius initium *Ad sacram*, decreuerit, *vt in Monasterijs Romanæ Sedi immediatè non subiectis* (siue ea sint non exempta, siue exempta sed mediata) *super quibus pro confirmatione ad dictam Sedem non consueuit haberi recursus, Electi pro confirmatione ad Curiam Romanam venire non teneantur.* Vt verò aliquid ex hoc Concordatorum articulo concludere possit Astrologus, necessariò subsumere debet: Atqui nos hic versamur in casu eiusmodi Monasterij, cuius vacante Abbatia, aut Prælatura regulari, electio Conuentualis Canonicè facta fuit, confirmatioque, ex vi Concordatorum, ad Episcopum in Monasterio non exempto, at verò in exempto ad Superiorem regularem pertinet: Ergo immiscere se non debet Pontifex. Cùm itaque assumptio ista falsissima sit, & ad casum controuersiæ nihil omninò pertinens, ideo denuò hinc apparet hominis huius versutia, quando ea quæ nihil in se momenti, aut rationis habent, ita proponit, ac si intentionem causæ suę plurimum adiuuarent.

Quæ verò de deuolutione, & iure tam actiuo disponendi Ordinarijs cõpetente, quàm passiuo ipsorum Religiosorum, quibus iuxta Sacros Canones, prouideri debeat, obscurè intermiscet, de his suprà p. 1. loco 8. & p. 2. cens. 3. & 4. dictum.

Q CEN-

CENSVRA XXX.

269. FOl. 178. num. 10. hæc habentur: *Non releuat Opponentem, quòd per apostasiam quorundam Monachorum, dicat* (pag. 319. Iustæ defens.) *olim Ecclesiam vniuersalem spoliatam fuisse, quasi ratione huius, Ecclesia ius & actionem ad Monasteria desolata consequeretur. Verba ipsius sunt: Rectè dicitur, quòd per eam Monachorum à Fide Catholica defectionem, & quæ inde secuta est, Monasteriorum occupationem, seu traditionem laicis factam, Ecclesia vniuersalis spoliata fuerit. Si enim aliquis ratione possessionis suæ, ad iura soluenda obligatum se professus fuerit, postea verò soluere contumaciter recuset, is spoliare censetur eum, cui se obligatum profitebatur, c. querelam 24. de elect. vbi id tradit Innoc. n. 3. Abb. in c. peruenit n. 3. de cens. Adeò, vt etiam interdicto vnde vi locus sit, secundùm Legistas apud Bart. in l. 2. ff. Quorum bonorum, Menoch. rem. 1. recup. n. 87. Atqui Abbas & Conuentus, dum Catholici erant, profitebantur Monasteria, & bona ac iura ecclesiastica obligata esse Ecclesiæ vniuersali, eiusque supremo Capiti, &c. atque per recessum à Fide, obedientiam atque subiectionem omnem contumaciter subtraxerunt: Ergo &c.* Subiungit postea Astrologus: *Nos bonitatem Syllogismi scrupulosè non examinabimus. Ad rem quod attinet, in ijs Monasterijs rarißimis, in quibus apostatarunt Abbates & Conuentus, non negamus Ecclesiam vniuersalem fuisse spoliatam, sed negamus illud ab Opponente congruè probari. Nam quotquot ab ipso citantur Authores in propositione maiori, omnes loquuntur de pensione, censu, seu præstatione annua, qualem annuam pensionem Monasteria non dabant Ecclesiæ vniuersali; Cap. querelam loquitur expreßè de pensione sexdecim denariorum Papiensis monetæ debitæ annuatim Ecclesiæ S. Agnetis.* Et paulò post: *In huiusmodi, quando præstatio est realis, quia soluitur ratione certæ rei, fatentur omnes Legistæ posse agi interdicto possessorio.*

Vbique sibi similis est Astrologus, malitiam æquè ac inscitiam suã prodens. Primis verbis suis in errorem trahere conatur Lectorem, quasi ex sententia mea, propter Monachorum apostasiam seu à Fide recessum, vniuersalis Ecclesia spoliata fuerit, atque ex hoc capite Roman. Pontifex, tanquam Ecclesię vniuersalis Pastor, ius actionemque ad ista Monasteria vacantia (ipse *desolata* vocat) sua auctoritate ordinanda, acquisierit. Vno verbo, persuadere vult, Monachos, me auctore, à Monasterijs excludendos esse, eò quòd antecessores eorum, ob apostasiam seu lapsum in hęresin, Ecclesiam spoliàrint. Similia attulit Aduersarius in astro inextin. fol. 110. argum. 8. iuncto fol. 137. n. 99. & in act. perduell. fol. 22. Cùm tamen hanc ipsam falsitatem atque calumniam, quia etiam Theologo, quem defendi, obiecta fuerat, disertè reiecerim pag. 340. 341. Iustæ defensionis. 82.

Vlterius, quòd per Monachorum v. g. à Fide defectionem, lapsamque in hæresin, præcisè loquendo, Ecclesia vniuersalis spoliata fuerit, ego non docui, sed vt certiorem doctrinã traderem,

derem, vnà cum defectione à Fide coniunxi alia, quæ inde secuta sunt, quia videl. subiectionem, & obedientiam Ecclesiæ Prælatis ipso facto negârunt,(eorum v. g. decreta respuendo, Visitatores repellendo, charitatiua subsidia, annatas seu primos fructus, aliasque præstationes debitas denegando) vel denique etiam ipsa Monasteria, & Ecclesias iniquis occupatoribus tradendo. Hac ego ratione, vt Theologum illum à calumnia defenderem, ostendi, Ecclesiam vniuersalem per apostasiá à Fide, &c. à Monachis, alijsque Ecclesiasticis olim spoliatam fuisse.

Numquid aliquid in hac doctrina reprehendi potest? Quid enim certiùs, quid in omnibus tribunalibus notius, aut vsitatius est, quàm si Monachi alijque Ecclesiastici non exempti subiectionem Episcopo diœcesano subtrahant, ideoque eum, aut delegatos ipsius ad Monasterium, aut domum parochialem non exemptam visitandi causa accedentes non admittant, repellant, spolium contingere, & possessorio interdicto *recuperandæ* agi posse, posito, quòd opponentes se præualuerint, & Episcopus animum visitandi deposuerit. Quid item notiùs, quàm spoliationem v. g. accidere, si vel ex Ecclesia, quæ iuris diœcesalis est, cathedraticum, vel ex domibus intra terminos parochiæ sitis, numus parochialis, iuxta loci cuiusque consuetudinem, denegetur; quasi is debitus non sit?

Verùm obijcit Aduersarius: In c. illo *querelam* sermonem esse de pensione annua denegata, sed & Doctores à me allegatos de annua præstatione loqui. En hominis huius infantiam. Numquid, quia in rescripto Pontificis casus specialis de annua sexdecim denariorum Papiensium pensione deciditur, ideo decisio ad casus alios, ob rationis identitatem, applicari non potest? Parum abest, vt & hoc inferat, neminem spoliatum censeri, etiam ob negatam pensionem annuam, quæ Ecclesiæ v. g. alteriusve possessionis contemplatione præstari solita erat, nisi fuerit *sexdecim denariorum Papiensis moneta*. Legisse debuerat, quod Iulianus scripsit in l. 12. ff. de legibus. *Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi, sed cùm in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, & ita ius dicere debet*: Accedit, quòd ex hoc ipso c. querelam, Innocent. ibi, Abbas prope finem, & alij, generalem regulam expressè colligunt, quòd pro iuribus incorporalibus concedatur *vtile interdictum vnde vi*.

Denique acu rem tetigisse videtur Astrologus, atque clarè ostendisse, quòd non rectè probârim, Ecclesiam à Monachis illis spoliatam fuisse, quia quando præstatio est realis, siue debita ratione certæ rei, secundùm omnes Legistas, interdicto possessorio agi potest, vti videre licet apud Bartol. in l. vlt. ff. Quorum bonorum: secùs autem, si sit personalis tãtùm. Sed quid inde contra me inferri potest? Numquid non ea sexdecim denariorum pensio annua pari ratione

tione realis fuerat? quia à Presbytero Ecclesiæ S. Saluatoris debita erat Ecclesiæ S. Agathæ, intuitu eiusdem Ecclesiæ Saluatoris (quippe pleno iure subiectæ alteri Ecclesiæ) sed per denegationem, à Presbytero subtracta. Eodemque modo, vt suprà dictum, Monachi alijque Ecclesiastici Episcopis, ipsique Rom. Pontifici, ratione Ecclesiarum suarum, etiam ad reales quasdam præstationes obligati fuerant. Accedit denique, quòd in Bartolo loco allegato legere potuisset Astrologus *si in persona* (inquit) *habeam aliquod ius reale, quia est meus ascriptitius, possum agere interdicto etiam possessorio, vt in c. querelam:* Subiungamus iam: Atqui Roman. Pontifex habet ius reale in personis Religiosorum, id est, eorum personas, ratione professionis religiosæ, obligatas sibi tenet, ita vt vindicationi locus etiam sit, ac reductioni, si à subiectione & obedientia eius se subtraxerint; non secùs, quàm maritus vxorem à se recedentem, & Dominus seruum fugientem vindicare ac repetere potest: Ergo etiam in hoc casu possessorio interdicto, locus est, prout ipsemet quoque Aduersarius fassus fuit fol. 136. n. 93.

CENSVRA XXXI.

180. FOl. 185. in princ. hæc scribit: *Fatetur* (Laymann pag. 261. & p. 469. Iustæ defens.) *Cæsarem vi iuramenti sui obligatum ad Monasteriorum iura conseruanda, inter quæ ipsorum Ordinum præcipua esse, non abnuit: titulo tamen gratitudinis ab Ecclesia posse remitti Cæsareum homagium, ne videlicet is teneatur esse fidelis Aduocatus antiquorum Ordinum religiosorum: ne obligetur ex officio eis, & per eos restauranda Germaniæ benefacere, eos defendere, ac tueri.*

Insignis hæc est fallatio. Dixerat Auctor libelli famosi, cuius titulus *Disceptatio de Monasteriorum translatione:* Imperatorem nostrum eam sibi auctoritatem non vendicare, vt ob labores & sumptus bellicos, velit esse nouus fundator aut dotator Monasteriorum ab hæreticis recuperandorũ: scire enim suam Maiestatem, vi iuramenti obligatam se arma sumpsisse, vt Ecclesijs & Monasterijs, sua quæque bona recuperaret. Ad hoc respondi in allegata cit. p. 469. *Quod obijcit Disceptator, Cæsarem vi iuramenti sui; & quia supremus Ecclesiarum Aduocatus ac defensor est, obligatum & coactum fuisse* (supple, ad recuperandas Ecclesias & Monasteria) *id verum quidem est, & suprà dictum in refut. c. 4. mem. 20. sed inde non rectè quispiam inferre poterit, Cæsari Ecclesiam, saltem titulo gratitudinis, obligatam non esse: vt iustæ voluntati acquiescat; eumq́ in fundandis de nouo Collegijs, Academijs, &c. tanquam nouum fundatorem, & dotatorem censeri, ac coli velit.* Hæc verò dicta sunt in Iusta defensione, vt Theologus secularis, qui hunc in *Iudicio* suo de nouo Fundatore discursum protulerat, à calumnijs defenderetur.

In allegato autem mem. 20. seu pag. 261. Iustæ defensioni hæc habentur: *Notandum Quod Theologus in suo discursu tãquam certum ponat, Cæsaream* *Maie-*

Maiestatem expensas & sumptus factos nō repetituram, vt suo fisco quippiam adijciat: Si, inquit, Imperator liberaliter condonat, &c. Quandoquidem Cæsarea Maiestas, ratione iuramenti, & Imperatoriæ supremæ dignitatis, ex officio suo, tanquam Ecclesiarum Aduocatus, eas (errore Typographi positum est *eos*) *defendere, & iura, ac bona earundem* (iterum vitiosè impressum est *eorundem*) *ab hostibus recuperare debet.* Hinc itaque homo malus calūniandi ansam accepit, quasi ijs in locis fassus fuerim, Cæsarem, vi iuramenti sui, obligatum esse ad Monasteria extincta ipsis Ordinibus restituenda. Quod ab intentione mea, ijsque quæ passim in libro Iustæ defensionis tradidi, prorsus alienum, nunquam à me significatum fuit. Aduertet enim Lector, si contextum eius pag. 261. inspexerit, nullam omnium Ordinum aut Monachorum mentionem ibi factam fuisse, neque aliud vocabulū antecessisse, ad quod relatiuum *eos, eorundem* referri potuerit, ac proinde Typographi error perquàm manifestus omnibus pateat.

Adiungam hic similem, & aliquātò grauiorem imposturam, quam eodem fol. 185. nu. 9. profert Astrologus: *Nescio, & iudicium prudentioribus relinquo, num iustè defendatur S. C. Maiestas, quando mentio fit pag. 270. Iustæ defensionis pactionum Simoniacarum, &c. cùm tamen constet, inuestituram alicuius Monasterij ab Imperatore nunquam petitam, neque datam fuisse. Sed cùm alicubi Monasterium Religiosis Ordinis antiqui, licet aliena diœcesis, graues ob causas, aliquantisper Imperatorio nomine concessum fuerit, preces tamen pro impetranda inuestitura & consensu per Cæsarem & alios Principes ad Apostolicam Sedem transmissæ, contractum Simoniacum aut intrusionem Sacratißimo Imperatori affingere non permittunt.*

181. (margin, beside "dem fol. 185. nu. 9. profert Astrolo-")

Grauissimam hanc calumniam ex pectore suo, omni, vti apparet, virulentia repleto, euomuit Astri inextincti Auctor: Siquidem mihi de ea controuersia, ad quam ipse alludit, quod DEO conscio affirmo, nunquā, cùm ista scriberem, in mentem venit cogitare. Sed neque verbum vllum in ea quam allegat pag. 270. reperitur, quo vel Cæsaream Maiestatem de pacto Simoniaco insimulasse, vel de Monasterij in aliena diœcesi ad aliud Monasterium translatione, incorporationeve locutus videri possim: vt manifestò etiam hinc appareat, præcipuum Astrologi propositum fuisse, varijs commentis, falsationibus & imposturis, cuiuscunque Ordinis, ac dignitatis personas, præcipuè verò Religiosos aduersus Societatis nostræ Patres concitare, & armare.

Dixerat Theologus ille, qui è Societate non est, *Non licere Imperatori, aut eius Commissarijs Religiosos, qui Monasteria propria auctoritate inuaserunt, vtpote intrusos, in tali detentione defendere,* quæ etiam suprà allegaui p. 1. loco 1. §. Cæterum. Hæc verba à Theologo illo prolata, antequam de dicti Monasterij translatione quidquam actum aut cognitum fuit, cùm ab Auctore susceptæ defens. ita impugnarentur: *Cur non liceat illis Religiosis Monasteria, auctoritate Cæsarea hæreticis erepta,*

pta, occupare, aut Imperatori illos in sic occupatis defendere? Et paulò post: *Quod Theologus iste intrusos vocet, iniuria est,* pag.266. Iustæ defension. Respondi ego allegata pag.270. *Patet, Theologum illum iniuriam non intulisse, quando intrusionis vitium ijs obiecit, qui sine canonica vocatione, & institutione, spiritualium Monasteriorum iurium possessionem acceperunt. Alioquin, si Doctores isti Theologi veritatem propalare non auderent, consequens foret, vt occasione Edicti Cæsarei, quod summa cum prudentia, iustitiaq; conceptum à Rom. Apostolica Sede laudatum fuit, plurima in Imperio confusiones, & Simoniaca pacta, aliaqúe mala prouenire possent.* Arbitror, id verè à me dictum, videl. pronum esse, vt talia accidant, si Religiosis quibuslibet vacantia hæc Monasteria, eo solo ostenso, quòd eiusdem Ordinis sint, absque Romani Puntificis, atque Ordinariorum loci auctoritate, intrare liceat. Vtrum verò re ipsa talia incommoda acciderint ante annos circiter quinque, non in his Germaniæ prouincijs (de quibus nihil scio) sed in partibus inferioribus, maximè inferioris Saxoniæ, ibi inquiri potest: Et credibile est, Theologum illum, cuius defendendi causâ ea à me scripta sunt, talia etiam inaudisse, quandoquidem & ad nos, qui distantiores sumus, famâ & literis delata fuerunt. Sed hæc cùm ad propositum non sint, hîc missa faciamus.

(∴)

CENSVRA XXXII.

EOd. fol. 188. num. 10. ita legitur: *Cùm asseritur* pag. 314.315. Iust. defens. *falsum esse, quòd tota Cæsarei Edicti dispositio spolio nitatur, Imperator arguitur de iniusto processu. Nam nemo actionem aliquam habet, ipso Opponente teste* fol. 33. *Iust. def. ad recuperationem Monasteriorum, adeoq; nemo ante omnia restituendus est, nisi spoliatus, eiusve hæres seu successor. Quòd si modò Edictum spolio non nititur, priùs, & ante factam restitutionē, iudicialiter audiendi sunt detentores, quos extra casum spolij inauditos damnare, iustum non est. Atque hoc illi semper hactenus inclamârunt, se auditos non esse: quibus egregiè patrocinatur Opponens.* 181.

Hic denique apparet, quanam accepta occasione, quo item decipiendi, nocendique proposito, tam multa fol. 136.137.138. disputârit de spolio, num eo Edictum Cæsareum nitatur, & secundum illud spoliati ante omnia restituendi sint, necne. Egi de hac re in censura 16. Sed quia varia suis dictis, tenebras inijciendi causâ, inuoluebat Astrologus, ideò ne rerum multitudo tedium Lectori afferret, quædam ad hunc locum, quem etiam ipse allegando insinuat fol. 137. n. 95. reseruaui. 81. 82. 83.

Ansam cauillandi accepit Aduersarius ex Iustæ defens. pag. 13. & pag. 314. quas etiam ad marginem hîc notauit. Redigam verò in argumentationis formam, quæ ipse suprà confusè attulerat disputando, hîc autem me accusando, breuiter comprehendit. 81.

dit. Nemo ante omnia restituendus est, nisi spoliatus, siue, quod eodem redit, Priuilegium restitutionis ante
81. omnia locum non habet, nisi spolium acciderit. Atqui iuxta doctrinam Laymanni, non pauca Monasteria & sacra Collegia, hæretici detinent, etiam post Passauicam transactionem occupata, in quibus spolium non accidit: Ergo ex mente Laymanni, detentores horum Monasteriornm ac Collegiorum iustè cogi non possunt, vt ea ante omnia restituant, sed priùs iudicialiter audiri debent: Qua in re Cæsarem, eiusque Edictum iniustitiæ arguit, atque hæreticis patrocinatur.

Propositionem maiorem dictæ ratiocinationis colligi ait ex pag. 13. Iustæ def. quasi ibi docuerim, quòd *nemo actionem aliquam habeat, &c.* Assumptionem verò ex pag. 314. Dixe-
81. 82. râm enim pag. 313. *Quæstio in eo versa-*
83. *tur, num Edictum Cæsareum de restituendis bonis Ecclesiasticis, tanquam ratione & fundamento, nitatur spolio, adeoq́; ad ea tantùm Monasteria, sacra Collegia, & Ecclesias se extendat, in quibus spolium interuenit. Negat prior Theologus: Si loquamur de spolio propriè dicto*, &c. Et postea p. 314. *Falsum est*, dicebam, *quòd Auctor libelli dixit, totam Edicti Cæsarei disposi-*
81. *tionem niti spolio.*

Enumerabo nunc fraudes, & falsationes Astrologi: Prima in eo cernitur, cum me pag. 13. docuisse refert, quòd *nemo actionem aliquam habet ad recuperationem Monasteriorum, nisi spoliatus, eiusúe hæres, seu successor.* Mea autem verba sunt hæc: *Si Abbates v.g. Ord. S. Benedicti actionem aliquam haberent ad recuperationem Monasteriorum, ea potißimùm prætendi deberet, quòd à Lutheranis per vim iniustam occupata sint, atque spoliati restitui debeant.*

Atqui hæc actio seu interdictum possessionis recuperandæ dictis Abbatibus competere non potest: Cùm istud interdictum seu remedium possessorium non detur nisi spoliato, & hæredi, seu successori spoliati l. 1. §. deijcitur, & §. interdictum, ff. de vi, &c. At verò isti Abbates, v. g. Schurensis, Murensis, Andecensis nunquam spoliati sunt bonis ac iuribus Monasteriorum sitorum in VVittenbergia, cùm ea nunquam possederint: Sed neque successores sunt eorum Abbatum, aut Monachorum, qui è VVittenbergia eiecti aut spoliati fuerunt, &c.

Videmus hîc, quòd locutus fuerim de spolio propriè dicto, vnde nascitur remedium recuperandæ possessionis *Vnde vi*: idq́; appellaui potissimum, quia propter odium spoliantis, in iure efficacissimum est ad restitutionem consequendam: Accedit, quòd notum sit, pleraque Monasteria ab hæreticis detentoribus, eorumve Maioribus per vim occupata fuisse. Qua fronte itaque Aduersarius ex pag. illa 13. colligere & Lectori obtrudere potest, quòd *nemo actionem aliquam habeat, &c. nisi spoliatus?* Nonne secundùm omnes Iuristas, vocula *maximè, potißimùm* (qua ipsa vsus fui) non exclusiua, sed inclusiua est aliorum, quæ non exprimuntur? Ideo ex ijs ipsis verbis meis, rectè infertur, etiam alia esse possessoria remedia, licet non tam efficacia, aut præcipua, quibus

quibus restitutio Monasteriorũ obtineri queat. Imò hoc ipsum verbis clarissimis expressi p. 315. *Extra controuersiam est, vigore Edicti Cæsarei, multa Monasteria, sacra Collegia, aliaque bona Ecclesiastica restituenda esse, tametsi actio de spolio, seu interdictum, vnde vi, intentari non posit.* Et mox, post enumeratos casus, adieci: *In his casibus vigore Cæsarei Edicti, conformiter Paci Religionis, restitutio bonorum fieri debet, non actione ex spolio, sed ex alijs possessorijs Edictis, prout apud Iureconsf. notissimum est,*

Altera fraus in eo consistit, quòd assertionem meam pag. 314. *Falsum est, totam Edicti Cæsarei dispositionem niti spolio*, eò malitiosè deriuet Aduersarius, quasi negare voluerim, restitutionem ab iniquis detentoribus vi Edicti Cæsarei, peti posse, nisi spolium antecesserit: Cùm tamen oppositum huius clarè tradiderim cit. pag. 315. assert. 2. Accedit etiam quòd doctrina ea, *Edictum Cæsareum spolio non niti*, restitutionem Monasteriorum & sacrorum Collegiorum, nequaquam impediat, sed magis promoueat, atque Ecclesiasticis faciliorem recuperationis viam aperiat, quia, vti suprà in cens. 18. explicatum, ipsi neque vim, neque aliam occupationem iniustam positiuè ostendere coguntur, sed id duntaxat, quòd tempore editæ transact. Passauicæ, id est, Anno Christi 1552. die 2. Augusti, in possessione extiterint.

Tertia fraus in eo consistit, quòd tum hîc, tum fol. 137. nu. 95. persuadere conatur, controuersiam in eo versari, vtrum Religiosi Ordinum *ante omnia* restituendi sint: Id verò me negasse ea pag. 13. quia ipsi per vim spoliati non fuerint, ideoque remedium possessorium *vnde vi* intentare non possunt. Veruntamen de hac questione, vtrum restitutio *ante omnia*, siue incontinenti, & non admissis probationibus de iure proprietatis, fieri debeat, ne verbo quidem memini. Insuper rationem, cur Monachi qui iam viuunt, Monasteriorum restitutionem petere non possint, eam palàm assignaui pluribus in locis, quia eorum possessionem nullam vnquam habuerunt, neque sunt successores illorum, qui possessione olim priuati fuerunt, pag. 13. 318. 483. Apparet itaque, Aduersarium non aliam ob causam, nisi vt controuersiæ statum perturbaret, fol. suo 36. & 37. copiose admodum ostẽdere conatum esse, non tantùm eos, qui violentia, sed etiam qui metu, dolo, aliave iniusta de causa, possessione priuati sunt, ante omnia restituendos esse, prout docuerit Beroius in c. 1. n. 31. de restit. spoliatorum. Siquidem hæc ad rem, qua de egimus, nihil omnino pertinent, sed solum calumniæ inferendæ causâ allata esse mox patebit.

Priùs tamen obiter, ac incidenter admonere volui Lectorem iuris peritum, Beroi illam sententiam, tametsi à multis approbetur, tamen nullo in iure satis stabilitam reperiri, vti benè docuit Menoch. rem. 1. recuperandæ, n. 243. 244. Sed de violento inuasore id specialiter & expressè decretum, vt ad restitutionem rei, ilico, & non admissa iuris exceptione com-

compellatur, l. 1. C. Si per vim, vel alio modo, l. si quis ad fundum, C. ad L. Iuliam de vi, c. in literis S. c. cóquerente 7. de restit. spoliat. Ea propter Bartol. in l. si de vi. 37. ff. de iudicijs ait, quòd possessor ante omnia restituendus sit, procedere, *vbi est illata vera violentia; secùs in quasi violentia.* Et rationem afferunt Abb. in cit. c. 1. n. 4. Menoch. cit. rem. 1. n. 239. 243. quia interdictum *vnde vi* magis priuilegiatū est; tum in fauorem spoliati; tum in odium spoliantis, qui propria manu sibi ius dicere voluit, & ob id maximè puniendus est, l. si quis in tantam, C. Vnde vi.

Id verò minùs iuridicum est, quòd Aduersarius contendit, eum qui per metum iniustè illatum possessionem amisit, spoliatum esse, ideoque ante omnia restituendum. Nam spoliatio locum vtique habere non potest in eo, qui absolutè loquendo, non inuitus, sed volens possessione excessit: Atqui metu adactum, absolutè loquendo, volentem & consentientem esse, si non ex iure l. si mulier, 21. §. si metu, ff. Quod metus causa, certè ex Theologia didicisse debuisset Astrologus. S. Thom. 1. 2. q. 6. ar. 6 Aristot. lib. 3. Eth. cap. 1. & docet Menoch. in allegato remed. 1. n. 102. non possessorio remedio, sed potiùs rescissorio opus esse aduersum eum, qui per metum iniustè illatum rem acquisiuit; propterea quòd actus siue acquisitio mero iure valeat, sed rescindi debeat: Idque etiam in beneficialibus locum habere egregiè docuit Gl. in c. super hoc 5. ver. resignationem, de renunc. Abb. Panorm. in c. 2. n. 19. de his quæ vi.

Redeo iam ad propositum, & affero quartam ac principalem Astrologi fraudem: Omnia enim quæ in allegatis folijs copiosè disputauit, eò denique direxit, vt dicere posset, restitutionem horum Monasteriorum, & Collegiorum, me iudice, de iure non potuisse fieri *ante omnia*, seu non auditis detentoribus, si iura sibi competentia obijcere, atque incontinenti ostendere velint; Eaque re, hæreticis me patrocinari, Cæsaris autem Edictum restitutionis, eiusque executionem arguere: *Si Edictum spolio non innititur,* (inquit) *priùs & ante factam restitutionem, iudicialiter audiendi erunt detentores*: Et mox, *Illi semper hactenus inclamarunt, se auditos non esse.* Sed quid audio, Astrologe? Nunquid Acatholici ante imperatam eis sacrorum Collegiorum restitutionem, executionemque auditi non fuerunt? Cùm tamen constet, eas ipsas controuersias, quæ in Cæsareo Edicto definitæ sunt, eamque præcipuè quæ de Monasterijs, &c. restituendis est, sępenumerò in Imperialibus Comitijs propositas, ab vtraque parte, oblatis Cęsari petitionibus, exceptionibus, replicationibus, discussas fuisse; adeò, vt ipsimet Protestantes, cùm aliàs, tum Anno 1566. Augustæ earum decisionem à Cæsare fieri, desiderârint.

Deinde quàm inscitè loqueris Astrologe eod. fol. 185. n. 10. quòd *extra casum spolij, inauditos damnare iustum non sit*: Cùm neque in casu spolij id iure concessum, præterquam si causa

adeò manifesta sit, & euidenter appareat, etiam audiatur Reus, nullam prorsus defensionem ipsi competere posse: Tum verò non tantùm in casu spolij, sed etiam in alijs causis inauditum damnare iniustum non est.

Bona, humanoque generi vtilis est Dialectica; omni encomio digna Iurisperitia: Sed si in animum malum, fraudibusque struendis idoneum cadat, etiam modica scientia (qualis in hoc homine est) magna mala parere potest.

CENSVRA XXXIII.

183. FOl. 187. plures ineptias atque calumnias congerit, quas singulas piget referre. Vnam, exempli causa, proponam ex n. 16. *Istas duas propositiones*, inquit Aduersarius, quarum *vna* est, *quòd Cæsar in hoc casu nostro restituendorum Monasteriorum debeat procedere vt iudex, atque partibus implorantibus, prout secundùm iura constitutum est, iustitiam administrare; Altera, Cæsarem etiam alijs qui spoliati non sunt, neque officium Iudicis implorant, Monasteria cum Rom. Pontificis auctoritate, assignare posse; qui simul asserat, eum, ait Opponens* (pag. 357. 358.) *manifestè sibi ipsi esse contrarium. Ne igitur Oppositor* (Laymann) *sibi ipsi sit contrarius, ambas admittere non potest. Posteriorem autem in tractatu suo vbique propugnat; proindeque priorem respuat, necesse est. Vnde sequitur, quòd secundùm ipsum, Imperator in præsenti casu nostro, non debet procedere vt Iudex, neque partibus implorantibus, prout secundùm iura constitutum est, iustitiam administrare. Hoc ipsum, & nihil aliud, hactenus desiderârunt omnes hæretici, qui perspicuè vident, se ex Monasterijs, non nisi supremi Iudicis officio, expelli posse.*

Pueriles hæ nugæ sunt, quas ferula, non calamo repellere oporteret. Breuiter dico, posteriorem propositionem dilucidè veram esse; contrarium autem, siue aduersantem huic propositioni fore eum, qui dixerit; Quòd Cæsar debeat procedere vt iudex, siue non possit aliter ad Monasteriorum imperandam restitutionem procedere, nisi officium eius imploratum fuerit. Quid ipsum claris verbis reieci; eò quod Cæsar. Maiestas vtroque officio in Monasteriorum horum recuperatione prædita sit; videl. tam Iudicis partium actioni & petitioni deseruientis; quàm supremi Ecclesiarum Aduocati, à partium petitione liberi.

Quando itaque sophisticè hinc colligit, quòd Imperator in præsenti casu, si officium eius tanquam Iudicis, imploratum sit, iustitiam administrare non debeat, puerilitas hinc eius atque stultitia apparet. Consistit autem fallacia in hoc, quòd ex sensu diuiso inferat compositum, siue ex absoluto hypotheticum. Absolutè enim necessarium non est, Cæsarem procedere vt Iudicem; cùm possit etiam ex libero officio procedere: Hypotheticè autem, si videl. officium eius à partibus legitimè imploretur, necessarium est eum procedere. Aduertat autem Lector, ex his puerilibus nugis atque fallacijs, quantas calumnias struxerit Aduersarius: Nam

283. eod. fol. 187. postquam dixisset, ex doctrina mea sequi. *Cæsarem ab antiquis Ordinibus imploratum vt Iudicem, vel Aduocatum teneri sub graui obligatione, partibus implorantibus iustitiam non administrare, neque tutelam.* Et mox, *Imperatorem, si priùs administraret partibus implorantibus iustitiam siue tutelam, peccare mortaliter;* Postea subiungit cit. n. 16. *Qua in re minimè gentium ab Opponente defenditur, sed grauissimè impetitur Imperator, cui nobilissimum officium, adeoq; sceptrum Iudicis, ausu temerario, (quantum est ex voto scribentis) adimitur, & è sanctis manibus excutitur: Est proinde, quòd meritò omnes boni tantæ sese insolentiæ, & Imperatorij proscriptioni muneris opponant.*

249. Et fol 218. n. 3. hæc lego: *Docet Oppositor* (Laymann Iustæ defens. pag. 357. 358.) *Cæsarem in hoc casu nostro non debere procedere vt Iudicem, neque partibus imperantibus, prout secundùm iura constitutum est, iustitiam administrare, adeoq; Cæsarem aduentantibus ad ipsum Abbatibus & Religiosis pro restitutione Monasteriorum sibi de iure debitorum, oportere clementissimum vultum auertere, debere afflictis & implorantibus iuris remedia negare; & sub graui obligatione in conscientia teneri illos iustissimè supplicantes non attendere, non audire, veluti tales, qui postulent rem, quæ cum felici reparatione Germaniæ subsistere non possit.* Annectit verò ibi cum his imposturis verba quædam ex proœm. Iustæ defens. n. 26. quæ nihil omnino ad propositum eius faciunt.

CENSVRA XXXIV.

FOl. 188. n. 26. & fol. 189. reprehendit me Aduersarius, quòd in Iustæ defensionis proœmio dixerim, rationes septem in mandata Cæsarea à Concipiente quodam obreptitiè intrusas fuisse: Id verò dictum existimat Astrologus in grauem Cæsareæ Maiestatis, atque Consiliariorũ eius iniuriam cedere. Sed aliter censuerũt sapientes, ipsique Imperatores Romani, sicuti inter alios annotauit Vdalricus Zasius tom. 6. operum lib. 2. consil. 10. fol. 130. edit. Francof. *Princeps Roman. multitudine arduorum negotiorum prauentus ad omnia per eum emanata non potest aduertere, Philipp. Corneus consil. 135. lit. c. p. 4. Quod & Cicero in oratione Rosciana diligenter tractat: Nam & pacis constituendæ rationem, inquit, & belli gerendi potestatẽ cùm solus Imperator habeat, cùm omnes in vnum spectent, vnus omnia gubernet, mirum non esse, si aliqua non aduertat: cùm præsertim tam multi occupationem eius obseruent, tempusq; aucupentur iniqua impetrandi. Quos certè importunos suggestores Rex Agesilaus exarmare volens, si quid iniqui ab eo obreperetur, declarauit, se dixisse illud, non promisisse: Et quod à Principe obreptio non sit insolita, facit l. Prædia C. de locat. prædiorum lib. 11. l. fin. C. de diuers. præd. l. vlt. C. de fund. & saltibus lib. 11. cum multis similibus. In qua obrependi consuetudine Cæsaris Officiales, quos lex Cæsarianos nominat, non modicè notabiles esse videntur, quod & Imperator prodidit in l. facultas 7. in fine, C. de iure fisci, lib. 10.* 185. 186.

Id quoque præterire non debeo, quod in Epistola P. Confessarij, & à me in Iusta defens. dictum fuit, *à non nemine, à Concipista quodam*, rationes erroneas in mandata Cæsarea fuisse intrusas. Aduersarios in Act. perduel.
185. fol. 8. & astri inext. fol. 188. n. 26. ad Cæsaris Consiliarios inuidiosè detorquere: Quòd *Imperator in aula sua assumat, amet, ac remuneretur homines, vel etiam Consiliarios pessimos, qui contra voluntatem suæ Maiestatis, epistolas concipiant, intrudant tam enormia*, &c.

Plura videri possunt in Antimelandro p. 2. fol. 43. & seqq. Id verò hic quærere libet ex Aduersario, si grauis culpæ reus (vti ipse arbitratur & valde exaggeratur in act. perduell. fol. 8. & 9.) censeri debet, qui in Cæsaris Curia obreptionem accidisse affirmat, cur ipsemet palam significet fol. Astri inext. 193. in princ. Literas à Cæsarea Maiestate scriptas ad Fridlandiæ Ducem, Excellentissimum Dominum Tillium, Commissarios Generales executionis, & ad tres PP. Prouinciales Societatis IESV (vti videre licet in append. Iustæ defens. lit. a b c.) subreptitias esse? Cur fol. suo
245. 216. circa medium hæc verba effutiuit Astrologus? *An verò, & quantum valeat impetratum nuperrimè decretum cassatorium Congregationis Palatinatus contra Conuentum Ratisbonensem* (PP. Benedictinorum) *an sit dicendum subreptitium, & per falsa narrata impetratum; sicut & inhibitiones, sub excommunicationis pœna, Conuentum illum adiri prohibentes, & suspensiones Pontificalium, aliaq; consilio quorundam consecuta; an, inquam, non subsistente narratâ derogatione iurium Episcopalium, iustificari possint, cum sine culpa non debeat infligi pœna, prudentioribus iudicandum relinquimus.*

Allegato fol. 189. aliæ cauillationes afferuntur; quarum vna est, quòd 185. n. 27.
pag. 415. 416. Iustæ defens. Illustriss. & Excellentiss. Principis Pauli Sauelli ad Sacram Cæsaream Maiestatem scripta epistola, à me latinè reddita fuerit, aliquibus verbis omissis, quibus de Commendis & pensionibus Episcoporum mensæ non applicandis mentio fiebat, quod ipsum etiam in act. perduellionis fol. 7. obiecit Aduersarius. At verò, fraude nulla me vsum fuisse, partim ex eo colligi potest, quia nullam prorsus causam habui ea reticendi; cùm clarè ediderim in proœm. n. 30. *Si in rationibus, aut mandatis inhibitũ tantùm fuisset, ne vniones, pensiones, aut Commendæ in his Monasterijs peterentur, aut impetrarentur absque Cæsaris scientia & consensu*, &c. *nullam eæ rationes censuram meruissent.* Locum integrum reperiet Lector p. 1. loco 3. Partim verò ex eo, quia epistolam eam integrè, nullo verbo omisso, aut mutato, idiomate quo erat scripta Italico, produxi; ita vt insipiens nimis fuissem, si de industria latinam versionem falsatam adiunxissem. Verùm, cum Italici idiomatis, quod omnes nôrunt, qui me nôrunt, imperitus essem, hanc (quod DEVS nouit verum esse) diligentiam adhibui, atque Epistolam illam duobus, vni Italo, alteri Germano Italicæ linguæ gnaro, latinè vertendam dedi: Postea cùm versiones ambas contulissem, &

& con-

& consentientes agnouissem, eam, quæ intelligentior videbatur, selegi, & Iustæ defensioni inserui. Itaque necessariò consequens est, quòd Typographus, inter festinandum, verba ea omiserit.

Altera cauillatio: Etsi iniusta defensione prioris siue sæcularis Theologi Iudicium de Monasteriorum translatione mirè laudârim, tamen in hac sola de Commendis & pensionibus materia, quas Theologus ille mensis Episcoporum non assignandas iudicauit, me ab ipso dissensisse: Hunc verò dissensum inde ostendit Astrologus; quia Opponens Laymann in proœm. Iustæ defens. n. 31. dixit; *Hac præter & contra Cæsar. Maiestatis scientiam ac voluntatem* (in epistolam Oratoris Cæsarei & ad quosdam Episcopes S.R.I. Principes) *inserta fuisse*. Verùm hic iterum Lectorem fallit accipiendo sensum diuisum pro composito. Quæro itaque; Ad quidnam eo n. 31. referebatur illud *Hac?* Num simpliciter & absolutè ad cõmendas ac pensiones Episcoporum mensis non applicandas, sicuti Astrologus falsè insinuat? An verò ad cõmendas & pensiones, quatenus earum applicatio ad mensas Episcoporum damnata in Epistolis erat, *quòd coram DEO vix ac difficulter excusari posset, si in iure diuino stabilita dispositiones*, &c. prout hunc locum integrum videre licet p. I. loco 3.

Alia quoque dicta mea, signatis quibusdam verbis, quasi formalia sint, affert hic Astrologus: Negationes commendarum sacris *Canonibus & Ecclesiasticæ immunitati repugnare:* Item, intentionem non concedendi commendas *necessariò refellendam*; & similia plura, quæ omnia ab Astrologo conficta, & falsata sunt; Aut ostendat, me tale quid scripsisse; producatque textum integrum; non autẽ duo, vel tria verba, antecedentibus & consequentibus fraudulenter omissis.

CENSVRA XXXV.

DIXERAM in proœm. Iustæ defens. n. 22. in rationibus septem, epistolæ ad Oratorem Cæsarem insertis, quædam cõtineri falsa & scandalosa; Videl. *quòd coram DEO vix ac difficulter excusari queat, si similes in iure diuino stabilitæ fundationes, contra Fundatorum mentem aliò conuertantur & applicentur.* Contra ita insurgit Sophista iste: *Si hoc dictum repugnat veritati, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra Fundatorum voluntatem immutentur, consequenter eius oppositum erit verum (de quolibet enim vera est affirmatio vel negatio) quòd videlicet coram DEO non vix, nec difficulter, sed facilè poßit excusari, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra Fundatorum voluntatem immutentur: Atqui hæc ipsa propositio contraria est legi naturali & diuinæ, adeoq; falsa & in praxi coram DEO non excusabilis.*

Respondetur; Enuntiationes simplices & categoricas ita esse comparatas, vt, si vna neget, quod altera affirmat, contradictoriæ efficiantur, quarum hæc natura est & conditio, vt simul veræ, aut simul falsæ esse non

possint. Sed alia ratio est de enunciationibus ex coniuncto extremo, & quæ virtute duplices seu compositæ sunt; adeoque ad earum veritatem requiritur, vt vtraque coniunctionis pars vera sit: Nam si pars vna falsa sit, tota enuntiatio de extremo coniuncto falsa efficietur; quia *effectus sequitur deteriorem partem suæ causæ*. Exempli causa: *Diabolus Lucifer qui in cœlo nunc est, DEVM videt. Diabolus Lucifer qui in cœlo nunc est, DEVM non videt.* Ambæ propositiones, tanquam falsæ, rectissimè reijci possunt. At verò ad captiones vitandas eiusmodi copulatas enunciationes diuidere consultius est; *Diabolus Lucifer nunc in cœlo non est; Et Diabolus Lucifer DEVM non videt.*

Sic etiam in nostro casu, siue ratione illa prima, eo sensu propositio referebatur: Translatio Monasteriorum ab Ordine, pro quo olim fundata erant, ad alium Ordinem, &c. quippe iuri diuino, & voluntati Fundatorum repugnans, coram DEO vix difficulter excusari potest. Hanc propositionem Theologus, eiusque defensor Laymannus falsam dixerunt, & errori obnoxiam. Idcircóne vera erit hæc propositio? Translatio ea Monasteriorum ad alium Ordinem, &c. quippe Iuri Diuino & Fundatorum voluntati repugnãs, coram Deo non vix, nec difficulter excusari potest. Nequaquam: Simpliciter autem & securè dicetur Sophistæ: Ista translatio Monasteriorum Iuri Diuino ac Fundatorũ voluntati non repugnat; Et, coram Deo non vix ac difficulter excusari potest.

Id quoque aduerti potest, quod Sophista noster, vt fraus non deprehendatur, propositionem, quã Theologus ille (à me defnesus cap. 4. mem. 1. Iustæ defens.) vt falsam & temerariam damnauerat, mutando ac falsando, simpliciùs ac præcisiùs attulit; *Coram DEO vix ac difficulter excusari posse, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra Fundatorum voluntatem immutentur.* Hæc verò propositio inserta non erat in epistola ad Oratorem, aut Episcopos; & ideo à Theologo reprehendi non potuit. Sed his verbis formata fuerat propositio, quam Theologus & ego eius defensor, damnauimus: *Quod coram Deo vix ac difficulter excusari queat, si similes in iure diuino stabilitæ fundationes contra Fundatorum mentem & institutum aliò conuertantur, & applicentur*, proœm. Iustæ defens. n. 22. & fol. 164. In hac enim coniuncta, & virtualiter duplici enunciatione, significatur, hanc, de qua agebatur, translationem Monasteriorum Iuri Diuino Fundatorum voluntati repugnare; quod cùm falsum sit, tota ea complexa propositio falsa efficitur, vt infrà cens. 46. iterum dicetur.

CENSVRA XXXVI.

FOl. 194. in princ. Similem priori captionem in medium profert Sophista. Epistolæ Cæsar. Maiestatis ad Oratorem hæc verba intrusa fuerant. *Districtè committimus, &c. vt solicitè auertatis, ne vlla isthic sub Edicto nostro comprehensa Monasteria, Ecclesiæ, loca sa-* 201.

cra

ſtra, aut bona inde dependentia, &c. *alteri* Ordini, *quàm cui dicata ſunt, ſub prætextu maioris boni, concedantur, aut quocunque tandem modo in Ordinum aliorum præiudicium, ac alios vſus conuertantur.* Locus integer reperietur in Iuſtæ defenſ. proæm. n. 9.

Inſurgit iam Aſtrologus, & ait: *Si hæc prohibitio vel propoſitio* (*Nvlla Monaſteria, &c. in aliorum præiudicium, ad alios vſus conuertantur*) *falſa, ſcandaloſa, temeraria eſt; ex conſequenti illius contradictoria erit vera, fideiq; principijs conſentanea, Vt aliqua Monaſteria, &c. in aliorum præiudicium, ad alios vſus conuertantur: Adeoq; licitum erit Iudici, & principijs fidei Catholicæ cohærens, in aliorum præiudicium ferre ſententiam.* Poſtea verò grauiter in Laymannum inuehitur, quòd *tueatur, eiuſmodi tranſlationem Monaſteriorum nō modò non eſſe iniquam, etiamſi fiat in aliorum præiudicium, ſed oppoſitum eſſe falſum, erroneum, ſcandaloſum.*

Ad hæc reſpondetur, propoſitionem illam; Monaſteria (de quibus ſermo eſt) eorumque bona in aliorum præiudicium ad alios vſus transferri non poſſunt, complexam eſſe & virtute geminam: Senſus enim eſt, Tranſlatio Monaſteriorum ad alium pium vſum, in Ordinum præiudicium cedit; Et ideo permitti non debet. Huius verò prior pars cum falſa ſit, tota complexio vt falſa reijci po-
201 teſt.

Veruntamen Theologus à me defenſus, de hac ipſa propoſitione locutus non fuit, quando dixit, *Intentionem hanc eſſe præſumptuoſam, temerariam, Eccleſiæ Catholicæ pernicioſam*, pag. 47. Iuſtæ defenſ. Sed ideo vel maximè rationes ac propoſitiones dictis epiſtolis inſertas damnauit, quia dictum erat; *Illud enim* (vt à Sanctitate ſua vel motu proprio, vel ad opportunam aliorum inſtantiam, &c. Monaſteria ad alios vſus conuertantur) *permittere ac diſſimulanter ferre, vti nec in conſcientia poſſumus, ita nec*, &c. Iuſtæ defenſ. proæm. n. 2. Propterea cenſuit Theologus ille; *Si rationum Auctor intendit vlterius probare, Sacr. Cæſar. Maieſtatem in conſcientia obligatam eſſe, vt omnia bona eccleſiaſtica recuperata antiquis Ordinibus, improbante etiam Chriſti Vicario, reſtituat: ſi id, inquam, Authοr rationum vel probare, vel re ipſa efficere intendit, vti re vera ex poſt facto, & rerum euentu, & ex ipſo titulo rationum videtur voluiſſe intendere, Dico, intentionem illam eſſe præſumptuoſam, temerariam, Eccleſiæ Catholicæ pernicioſam*, &c. Iuſtæ defenſ. pag. 46.

Porrò titulus rationibus præfixus, ex quo ſecularis ille Theologus collegit, Auctoris earum intentionem eò ſpectare, quòd Cæſaris conſcientiæ repugnaturum eſſet, ſi Monaſteriorum aliquod ex ijs, quæ ab Acatholicis recuperata ſunt, eiúſue bona ad alios vſus applicari ſineret, iſte erat: *Rationes & argumenta, ob quæ Sacra Cæſar. Maieſtas Monaſteria & bona eccleſiaſtica Ordinibus, & non alijs reſtituere poſſit ac debeat.*

CENSVRA XXXVII.

FOl. 195. in fine, hæc adfert: *Quid in ea deliberatione concluſum fue-* 204
rit,

rit, recenset Opponens n. 34. proœm. Iustæ defens. Quamobrem cùm à Sacra Cæsar. Maiestate tam ex secretiore consilio, quam ex Imperiali Aula deputati legissent scripturas, seu conceptiones Theologorum, quibus rationes eæ damnabantur, tanquam Sacris Canonibus, traditioni, & immunitati Ecclesiasticæ repugnantes, mox, inquã, Domini Consiliarij deputati declarârunt, mentem suam non discrepare à iudicijs Theologorum. Hæc ille, sed non absque DD. Deputatorum iniuria. Nam à persona in dignitate constituta, nos ex ipsa Aula Cæsarea 18. Iunij præsentis anni sic rem narrari accepimus: Quæ scribuntur in proœmio libri n. 34. de Deputatorum à Cæsare declaratione, tam fabulosa sunt, quàm verum est illos olim Deputatos nunquam conuenisse in aliquam consultationem. Ita testantur, qui ex numero Deputatorum fuerunt.

Ad hæc ita respondeo; Speciem facti, seu rei gestæ declarationem, quam attuli proœm. 1. & proœm. 2. n. 33. 34. non me confixisse, sed ab ijs accepisse, & quidem in scripto, qui certam notitiam habebant, &, si opus fuerit, testari poterunt. Contrà verò Astrologus profert literas personæ in dignitate constitutæ; sed frustra: Cùm talia, quæ in facto consistunt, cognosci ac iudicari nõ possint, nisi inspectis & examinatis literis, atque persona producentis, num is fortè confixerit, falsârit; præsertim si de eiusmodi falsationibus suspectus sit, imò manifestè conuictus, aut deprehensus, videl. Astri inextincti Auctor.

CENSVRA XXXVIII.

FOl. 204. ostendere conatur Aduersarius, Reuerendiss. & Illustrissimos DD. Episcopos, S. R. I. Principes, à me in Iusta defensione non rectè defensos fuisse; *Nam eo casu, quo omnes mortui sunt in Collegio, sentit* (Laymann) *mox omnes titulos, ac iura collegialia esse extincta, ac proinde non agnoscit in Monasterijs vllam electionis propriè dictam deuolutionem fieri ad proximum Superiorem. Quando insuper dicit* (pag. 182. 406. Iustæ defens.) *quòd Episcopus in Monasterijs iam vacantibus non posset instituere Clericos seculares, absque consensu, & auctoritate Summi Pontificis; cùm omnis exceptio firmet regulam, videtur hic insinuare, Episcopum in Monasteria iam vacantia posse instituere Clericos regulares, absque consensu Summi Pontificis. Quod tamen verum non est.* 226.

Has itidem nimis friuolas redargutiones esse, facilè apparebit. Quod ad 1. attinet, verum est, me in casu isto, si omnibus è Collegio mortuis tituli extincti sint, nullam electionis propriè dictam deuolutionẽ meminisse; cùm neque iura canonica meminerint: Hæc enim, cùm deuolutionis mentionem faciunt, loquuntur de titulis beneficiorũ in corpore Ecclesiæ vacantium, quòd ea, si Electores vel Collatores ob delictũ, vel negligentiam, non prouideant, ad alium, plerumque Superiorem deuolui debeant. Itaque propriè dicta deuolutio ad Superiorem Prælatum supponit

supponit titulum beneficij existere, sed ob incidentem casum, ab inferioribus prouisionem factam non fuisse.

At verò ego longè vberiorem Episcopis, & similibus Prælatis potestatem tribui, si Monasteria exempta non sint; Videl. quòd in casu isto extinctionis totius Collegij, aut Monasterij, prouisionem & ordinationem facere possint, iure proprio, & non deuoluto. Etenim potestas deuoluta dicitur cum ordine ad inferiores v. g. Conuentuales ad quos de iure pertinet Abbatem, aut Priorem eligere, sed ob negligentiam, vel suspensionem intermittunt: At verò in nostro casu, cùm Cóuentuales omnes mortui sint, nulla vel fingi potest eligendi potestas, quæ ab inferioribus ad Superiorem, videl. Episcopum, deuoluatur. Falsum itaque est, Iustæ defens. Auctorem hac in re locorum Ordinarijs aduersari. Videat Lector quæ dicta sunt suprà in cens. 3.

Quod attinet ad 2. ante omnia obseruari debent puerilitates Astrologi: Vt, cùm id inter oppugnationes Episcoporum numerat, quòd Iustæ defens. Auctor insinuare videatur, Episcopum iure proprio atque ordinario, adeoque sine speciali Summi Pontificis licentia, in Monasterijs istis vacantibus instituere posse Clericos regulares. Estne hoc Episcopos non iustè defendere, eosve oppugnare? Deindè, quàm inscitè colligit, hanc ipsam à me doctrinam insinuari, quia dixerim, Episcopos in his Monasterijs non posse, sine Pontificis auctoritate, instituere Clericos seculares? Cũ ergo omnis exceptio firmet regulam, &c. Sed quæ obsecro hic exceptio? Nisi fortè de hac loquatur, *sine Pontificis consensu & auctoritate*: Inde autem rectè quidem confirmatur regula in alijs quæ excepta non sunt, id est, quòd nemo alius, præter Summum Pontificem, licentiam & auctoritatem dare possit, vt in Monasterijs istis vacantibus Clerici seculares instituantur. Quòd verò inde consequẽs sit, aut vlla insinuatio fiat, Episcopum Clericos regulares, aliósue Religiosos instituere posse, nondum ostendit Astrologus.

Voluit, vt arbitror, imperitus iste Iureconsul. aliam regulam, quæ in memoriam non occurrebat, hîc allegare. *Qui de vno affirmat de opposito negare, Et, qui de vno negat, de opposito affirmare censetur*, c. nonne, de præsumpt. Idque vocant *argumentum à sensu contrario.* Scire tamen debuisset Aduersarius, quòd isthæc regula plures limitationes suscipit, quarum hæc præcipua est, si ratio afferri possit, cur de vno speciatim affirmatum aut negatum aliquid fuerit, non item de altero opposito. Id verò in casu nostro perspicuè cernitur, quandoquidem Sacri Canones, allegati Iustæ defens. ca. 4. mem. 3. satis indicant, quòd Clericorum secularium institutio in Monasterijs, etiam vacantibus, Episcopalem potestatem excedat. Quamobrem ipsemet quoq; Aduersarius tum in act. perduell. fol. 35. tum in anatom. pag. 88. allegato Innoc. III. testimonio, produxit c. 4. causa 19. q. 3. *Quæ semel dicata sunt Monasteria cùm*

consilio Episcoporum, maneant perpetuò Monasteria, id est, Religiosorum habitacula: Propterea mox explicatius adiungitur, *Nec posse ea vltrà fieri secularia habitacula.*

At verò nullum, vt arbitror, in toto iuris canonici corpore, decretum reperietur, ex quo quæstio isthæc satis decidi queat: Vtrum Episcopus, in casu isto Monasterij extincti, si exemptum non sit, constituere posSit alterius Ordinis Regulares. Hęc itaq; causa est, cur ab ea quæstione de industria abstinuerim, atque in re magni momenti, in neutram partẽ quidquam statuere ausus fuerim: Præsertim, cùm satis notum sit, nemini Episcoporum Germanię in mentem venisse, vt sua auctoritate, siue absque Sedis Apostolicæ commisSione, in vacantia ista Monasteria alterius Ordinis Religiosos introduceret.

Allegat quidem Astrologus fol.
36. 107. num. 16. in negantem quæst. partem c. inter quatuor, de Religios. domibus. Quod tamen ad propositum non est, sicuti ostensum in allegato mem. 3. Iustæ defens. Quia Pontifex & DD. de alio ibi casu loquuntur, vt videl. Monasterium ab Episcopo reformandum sit, in quo vnus aut plures ius tituli, ac sustentationis adhuc habeant, per Religiosos eiusdem Ordinis reformari debere. Aliæ autem Doctorum auctoritates, quas ibidem Astri inextincti Auctor cumulat, partim de simili casu loquuntur, videl. si Collegium solutum sit per mortem omnium, vnico permanente, restituendum esse & ordinandum, per alios eiusdem profesSionis Clericos, aut Regulares: Quia Collegium in vno solo manet veluti in proxima potentia, & is propriè dictum ius actionemque habet, vt corpus Collegij redintegretur. Partim verò auctoritates Doctorum id solũ definiunt, omnibus Clericis aut Religiosis emortuis, alios à proximo Superiore subrogandos esse. Vtrum verò ij eiusdem profesSionis, & qualitatis esse debeant, id non exprimunt: Aut, si quis Doctorum exprimat, nõ debet Auctori Iustæ defens. obesse, cùm is de hac re nunquam disputârit.

Illud verò minùs tolerãdum, grauioremque censuram mereri videtur, quòd Aduersarius noster contendat, adeò secundùm Sacros Canones, in Monasterijs per mortem omnium solutis, alios eiusdem Ordinis ac profesSionis Religiosos instituẽdos esse, vt etiam ipse Rom. Pontifex hac lege astrictus sit, & ita quidem, vt, seclusa plenitudine potestatis absolutæ, cui tamen non nisi in casu manifestæ ac grauisSimę necesSitatis locus esse posSit, aliter statuere aut disponere nequeat, fol. Astri inextincti 108. n. 18. 38.
fol. 112. n. 33. fol. 163. & pluribus seq. 43. 149.
Et speciatim de Monasterijs Ordinis S. Benedicti, fol. 35. Act. perduell. & p. 88. Anatomiæ.

Fol. autem 167. Astr. inext. ita ratiocinatur: *Translationem* Monaste- 155.
riorum vacãtium ad Collegia, Scholas, &c. *non fieri à Summo Pontifice per concursum, in quo datur præuentio, vel inde patet, quia nemo potest cum altero concurrere, nisi & alter cum ipso concurrat:*

Ast

At liquidi iuris est, quòd nullus inferiorum Pontifice, poßit Ecclesias regulares mutare in Collegia, Seminaria, Academias. Videat Lector, an non per hanc doctrinam Rom. Pontificis potestas, quæ in administratione ecclesiasticorum beneficiorum ac bonorum maximè extolli solet, nimis abijciatur, videl. vt cócurrendo cum inferioribus Ordinarijs, eorum actiuæ potestati conformatus, & alligatus esse debeat.

CENSVRA XXXIX.

250. FOl. 219. n. 4. hæc calumniando effutiuit Aduersarius. *Falsum & erroneum est, inquit idem* (Laymann fol. 52. Iustæ defens.) *si fundatio in pium vsum destinata, ex fine bono ad meliorem conuertatur, iniustitiam esse. Ex quo dicto omnium suorum Monasteriorum fundationes sibi luxari vident Religiosi, adeoque nullum superesse, quod non facilè poßit auferri. Primò, quia fol. 57. tuetur cum Filliucio: Bona vni Ecclesiæ, id est, catui ecclesiastico, siue regulari siue seculari, attributa, posse validè & pro libitu voluntatis, à Sum. Pontifice ab illa auferri, & in aliam alienari. Dicunt, pro libito, vt intelligatur, ad hoc aliud non requiri, quàm ipsius Pontificis beneplacitum. Secundo, quia talis translatio cuiusuis existentis & florentis Monasterij, iuxta sententiam Opponentis, non tantùm est valida, sed etiam licita, si fiat ex fine bono ad meliorē vsum, v.g. Scholarum, Seminariorum, aut Collegiorum: cùm falsum & erroneum sit, secundùm ipsum, dicere, in tali translatione iniustitiam esse: vbi autem nulla intercedit iniustitia, ibi sententia lata, adeoq; Monasteriorum translatio, præsertim à Summo Magistratu lata, licita est. Et hoc modo nullum Monasterium, nulla Ecclesia Collegiata, nullæ fundationes tutæ, & securæ manebunt.*

Graues hîc iterum falsationes, & calumniæ cumulantur, quas breuiter ostendam. Primò, declarandum, qua occasione verba illa, quæ tamen præcisa, & non integra ab Aduersario allegata sunt, pag. 52. Iustæ defens. protulerim. Dixerat susceptæ defens. Auctor relatus pag. 45. *Extra controuersiam est, ad bonum publicum facere erectionem Collegiorum & Seminariorum, atque hinc esse, vt illi qui aliorum ecclesiasticorum bonis & prouentibus inhiant, istum titulum vbique suis conatibus pratexant: Ex hoc eodem fundamento Inuictissimum Imperatorem, vrgēte ac hoc æquum putante Summo Pontifice, diuitis subditi superflua bona in tam laudabiles vsus pro maiore Reipubl. Christiana bono conuertere posse, concludendum foret.* Et paulò post: *Quin imò minùs læderetur iustitia, vel charitas, si Princeps ex plenitudine potestatis auferret ab opulento superflua bona, quibus in DEI offensam, & proximi læsionem, is abutitur, quàm si fundatio ad pium vsum destinata, ex bono fine, ad meliorem conuertatur.* Hæc indoctè pariter, & malitiosè dicta, pluribus refutaui cap. 2. mem. 2. Et inter alia, pag. 51. ita respondi: *Falsum & erroneum est, si fundatio in pium vsum* destinata, ex fine bono, ad meliorem, supple vsum, *conuertatur, iniustitiam esse, & quidem maiorem, quàm si bona diuiti auferantur, vt Scholæ, Collegia, aut Parochia ædificētur.* Nū ex verbis istis rectè,

an verò calumniosè, intulerit Astrologus, omnium Monasteriorum fundationes luxari, Lector ipsemet iudicabit.

Secundò, calumniosè agit Aduersarius, quando ait, ex mente P. Filliucij, & Laymanni, bona vni Ecclesiæ attributa, posse *validè & pro libitu voluntatis*, à Summo Pontifice auferri, & in aliam alienari, eo sensu, quo ipse intelligi vult, vt id etiam licitè, & iustè fiat, siue, vt Roman. Pontifex non peccet: Cùm tamen ambo oppositum huius, expressis verbis, ex receptissima Doctorum sententia, tradiderimus, vt videre licet Iustæ defens. pag. 57. 264. 265. vbi hæc verba leguntur: *Quæ fuerit P. Filliucij sententia, superiùs dictum fuit, eadem videl. quæ Felini, quòd Papa* INIVSTE *agat, si absque causa vni Ecclesiæ sua bona adimat, & alteri tribuat: Idemque docuit P. Molina tract. de iust. disp. 12. nu. 22. P. Leonardus Lessius lib. 2. de iust. cap. 4. dub. 7. & hæc est communis Patrum Societatis* IESV *sententia.* Hæc ibi.

Tertiò, falsitas, & calumnia est, quòd *translatio Monasterij existentis atque florëtis ad vsum meliorem scholarum, &c. licita sit.* Nuspiam id legitur in Iusta defension. sed prorsus contrarium locis paulò antè citatis, & pag. 266. 377.

CENSVRA XL.

250. EOd. fol. 219. num. 5. ita loquitur Astrologus: *Neque Sedem Apostolicam, neque Sacros Canones, nec etiam Ordines antiquos iustè defendit Oppositor, cũ ait pag. 160. 491. Si Religiosi aliqui malè viuant in Monasterio, esse canonicam Monasterij ad alium Ordinem transferendi causam, idque constare tum ex Ecclesiæ praxi, tum ex Concil. Gen. Oecum. sub Alexandro III. in Appendice, tit. Ne Clerici vel Monachi &c. Monachi non regulariter viuentes, per alterius debent Ordinis institutionem puniri. Quæ postremæ sententiæ verba, ac si essent formalia, diuerso typo describi voluit. Sed en tibi verba ipsius Alexandri in c. relatum. Ne Clerici vel Monachi ex epist. ad Episcopum Londonensem, non ex Oecum. Concilio desumpta. Relatum est nobis, quod Monachi de H. seculariter viuunt, & alios exemplo suo corrumpunt. Ideoq; mandamus, quatenus eos ad obseruantiam regulæ, appellatione remota, compellas: Vel, si tibi restiterint ausu temerario, eis eiectis, Fratres alterius Ordinis (si non potest præscriptum Monasterium in suo Ordine reformari) in illud inducas.* Et paulò post: *Vnde apparet falsum esse dictum Opponentis, quòd Monachi non regulariter viuentes, per alterius debeant Ordinis institutionem reformari, neque Alexandrum III. istud ibi decreuisse.*

Latet hic iterum fraus atque deceptio, quam mox aperiam, pag. 491. Iustæ defens. ita scripsi: *Significaui in refutat. c. 3. memb. 3. hanc esse iustam causam Monasterij tradendi saltem per Apostolicæ Sedis auctoritatem, alterius Ordinis Religiosis, si Regulares, qui priùs in Monasterio positi erant, iterum atque iterum adhibita cura & admonitione, ad reformationem adduci non potuerunt, sicuti pluribus exemplis ostendi potest, & significatum est in Concil. generali sub Alexandro III. quem locum allegaui pag. 160.* Vbi hæc verba

verba leguntur: *Esse hanc Canonicam Monasterij transferendi causam, constat tum ex Ecclesiæ praxi, tum ex Concil. generali Oecumenico sub Alexandro III. in appendice tit. Ne Clericus vel Monachus, &c. Monachi non regulariter viuentes, per alterius debent Ordinis institutionem puniri.*

Videamus iam, quid reprehendat Aduersarius. Ait, me postrema ista verba, tanquam formalia essent, diuerso typo describi voluisse, cùm tamen verba Alexandri III. Papæ in c. relatum, Ne Clerici vel Monachi, lõgè aliud significent. Sed quid hoc ad rem? Allegaui ne ego ijs in locis c. relatum lib. 3. decretal. tit. Ne Clerici vel Monachi? Et ridiculum valde est, quod Astrologus ait, verba ea, quibus me oppugnare, & falsitatis arguere vult, *non ex Oecumenico Concilio* ab se *desumpta* esse: Siquidem hac ipsa de causa frustra nititur, & Lectori fucum facit, cùm ego ex Lateranensi Concilio testimonium meum produxerim.

Sciendum itaque, quòd in Conciliorum tomis responsum illud Alexandri III. Pontificis ad Episcopum Londonensem, aliter legatur, quàm lib. 3. compilat. decretal. Gregor. IX. allegato tit. Ne Cler. vel Monachi. *Relatum est auribus nostris, quòd Monachi de Nestrun. seculariter viuunt, & alios exemplo corrumpunt: Inde est, quòd auctoritate Apostolica tibi indulgemus, vt eos ad obseruantiam monasticæ regulæ, appellatione remota compellas, aut, si tibi restiterint temerario ausu, eis abiectis, Fratres Cistrenens.* (fortè Cisterciensis) *Ordinis in præscriptum Monasterium inducas, vt labores impiorum iusti edant, & illi inde rubore suffusi, ad sui Ordinis obseruantiam conuertantur*, Concil. generalis sub Alexand. III. par. 27. cap. 7. & videre licet tom. 3. Concil. per Laurent. Surium, edit. Colon. Ann. 1557 fol. 689. col. 1. Edit. Veneta Sixti V. Pontificis auspicijs, apud Dominic. Nicolinum Anno 1585. tom. 4. fol. 164. col. 2. Edit. Græcolatina Coloniensi, studio & industria Seuerini Binij, Sumptibus Ioannis Gymnici, Anno 1598. tom. 3. p. altera fol. 570. col. 1.

At verò in appendice eiusdem Concilij Oecumenici, quam ego allegaui, atque inde verba ea paginæ 161. Iustæ defens. accepisse me testatus sum, eodem prorsus modo, nullo apice mutato, reperiuntur in omnibus editionibus: *Monachi non regulariter viuentes per alterius institutionem puniri debent*, Edit. illa Laur. Surij fol. 619. col. 1. Edit. Veneta fol. 94. col. 1. Edit. Græcol. Colon. fol. 570. col. 1.

Habet itaque Astrologus regulam illam Canonicam in tomis Conciliorum Apostolicæ Sedis auctoritate expressam, quam malitiosè oppugnauit. Neque aliud hoc loco adijcere necesse est, nisi quod controuersiæ quoque statum, & meam de ea sententiam malitiosè expresserit Aduersarius, fol. eo 219. nu. 5. *Si Religiosi aliqui malè viuant in Monasterio, esse canonicam Monasterij ad alium Ordinem transferendi causam.* Hæc autem ego non dixi, sed longè aliter meam mentem explicaui cit pag. Iustæ defens. 491. *Si iterum atq; iterum adhibita cura*

& admonitione, ad reformationem adduci non potuerunt, &c.

CENSVRA XLI.

262. FOl. 222. & pluribus seqq. tum priuatis vltro citroque missis literis, quas Astrologus in omniũ notitiam producere non veretur, tum etiam publicè edito Notarij instrumento, ostendere conatur, falsum esse, quod à quibusdam relatum & scriptum, inquit, DD. Commissarios Ordinis Cisterciensis, & Congregationis Bursfeldensis, Monasteria Virginum, & aliqua obscuriora virorum Societati IESV cessisse.

De hac re, ad ostendendam hominis huius vanitatem, breuiter aliqua annotabo: I. In publico eo instrumento fol. 227. continetur: Relatum esse, quòd Dom. Archiabbas Hasfeldensis, tanquam Plenipotentiarius Ordinis, in præsentia R. Patris Lamormaini, omnia Monasteria Virginum, vnà cum Monasterijs obscuris virorum, Societati concesserit, vt ea sibi ipsi Societas, pro bono Religionis, applicare queat: Cum tamen iste Dom. Abbas non Plenipotentiarius, sed merus Mandatarius fuerit, atque talem concessio-
262 f. nem, (fol. 122. 223. 226. astri inex-
263. tincti appellatur *cessio* & *alienatio* Monasteriorum) nunquam fecerit,
408. nec facere potuerit. Et infrà fol. 286. publicæ protestationis copiam Astrologus producit, in qua Dom. Abbas Cæsariensis à se dictam Monasteriorum cessionem, renuntiationem, & traditionem factam esse, negat.

Sed, quid opus erat publicis hæc instrumentis ostendere? quandoquidem notum est, tametsi Domini illi Commissarij cum plenissima potestate ad Cæsaream Aulam pro recuperatione Monasteriorum Ordinis, destinati fuissent, tamen concessioñe, seu cessionem, ac renuntiationem nullam eos facere potuisse: Sed neque R. P. Lamormaini, aut suo, aut Societatis nomine acceptare, cùm omnis huiusmodi pactio, cessio, seu concessio ipso iure irrita sit.

II. Me quoque in eam sententiam trahere conatur, quasi dixerim, talem cessionem, siue concessionem factam fuisse, quia pag. 372. Iustæ defension. vocaui *vltraneam oblationem Monasteriorum*: Et pag. 274. 275. *promissionem Prælatorum quorundam.* Veruntamen qualisnam ea oblatio aut promissio fuerit, satis explicatum est à Theologo in *Iudicio* suo ead. pag. 275. *Iam de facto aliqui* (Prælati Ordinum) *consentiunt, & quadam cum annexis Ordinibus offerunt domicilia.* Et clariùs à me Iustæ defens. pag. 31. *Monasteria Virginum, quæ suorum Ordinum essent, & ab Acatholicis detinebantur, in clarissimorum hominum præsentia, Societati se PERMISSVROS sponte & liberaliter declararunt.* Et clarissimè pag. 402. *Ad id solùm conferret Ordinis consensus, quod Societas absque inuidia, & cuiusquam offensione, Monasteria aliqua, si ad Collegiorum, Scholarum, & Seminariorum erectionem, à Roman. Pontifice, & Cæsare donarentur, acceptare posset.*

Ipse-

Ipſemet quoque P. Lamormaini Cæſareus Confeſſarius in epiſtol. ad Reuerendiſſ. Abbatem Cæſarienſ. fol. 224. Aſtri inextin. *Cùm Sum. Pon-*
263. *tifex, ante annos octo, quando ego Confeſſarius non eram ſuæ Maieſtatis, S. C. Maieſtati fecerit poteſtatem, cum ſcitu Domini Nuncij, diſponendi ad bonum Religionis Catholicæ, de Monaſterijs Monialium quæ erant recuperata eo tempore, quantò melius eſt, quod facere forſan poſſet Imperator eo iure accepto, fieri beneuolentiſſimis Ordinibus, vt beneficium ab illis acceptum cenſeatur?*

III. Cùm parum, aut nihil interſit, ſiue illi Domini Commiſſarij declarationem hanc fecerint, aut non fecerint, quandoquidem certiſsimum eſt, Societatem ex illa nihil prorſus ſibi iuris vendicare, neque eo titulo ſeu ratione, vllum Monaſterium acceptura m eſſe, iterum dico, me intelligere non poſſe, quonam conſilio talia inſtrumenta, & vltro citroque amicè ſcriptæ epiſtolæ in lucem publicam vulgatæ fuerint.

Eandemque cenſuram meretur, quòd in act. perduellionis fol. 15. in lucem proferantur literæ, quas quidam è noſtra Societate Sacerdos ad Dom. ſuum Cognatum ſcripſit: Hoc inſigni, inter alia, per Aduerſarij malevolentiam, adiecto mendacio Literas illas (quibus inſinuatur, Monaſterium quoddam Virginum, tunc deſertum penitus, atque à Comitibus Naſſouijs Acatholicis in vſum hoſpitalis conuerſum, Patrum Societatis vſibus applicari poſſe) nomine ac mandato P. Prouincialis, P. Rectoris, ac Profeſſorum Academiæ Moguntinæ, imò totius eius Prouinciæ emanaſſe: Cùm tamen cõſtet, ac probari poſsit, Patrem illum proprio motu, & abſque vllius iuſſu, priuatas eas & amicas literas ſcripſiſſe.

CENSVRA XLII.

FOl. 238. & pluribus ſeqq. iterum congerit Aduerſarius quæ cau- 290.
ſam eius non adiuuant; quædam autem vitioſè ad propoſitum ſuum allegat. Inprimis copioſè demonſtrare aggreditur, multas congregationes, adeoque vnita corpora eſſe, quæ Caput non habeant: Cùm tamen ego de hoc vniuerſim nunquam diſputârim; ſed tantùm de Monaſterijs Ordinum Regularium dixerim, vt vnum corpus efficiant, neceſſarium eſſe, vt vni Capiti, tanquam ordinario Prælato ſubijciantur: Neque fieri poſſe, vt duos Prælatos habeant, quorum vnus alteri ſubordinatus non ſit.

Secundò ait, quòd etiam Ordo S. Benedicti habeat vnum Caput, videl. S. Patrem Benedictum in cœlis, & Pontificem Max. in terris. De his ſuprà egi p. 1. loco 6. & p. 2. cenſ. 10. & 11.

Tertiò inquit, non rectè docuiſſe: Quòd *Religioſi, qui Generalem Ordinis ſui habent, exempti atque Epiſcopis ſubiecti non ſunt: Vice verſa, quicunque Epiſcopis ſubiecti ſunt, Generalem habere non poſſunt*, Iuſtæ defenſ. fol. 363. & fol. 9. Etenim hanc doctrinam refutari poſſe putat per reſponſionem Honorij III.

in c. vlt. de statu Monachorum: Et verba Abb. Panormitani in c. Ne religiosi, quod est vlt. de Regul. Erasmi Chokier de iurisd. Ordin. in exemptos p. 1. q. 17. n. 22.

Verùm allegata ista nihil prorsus obstant, assertioni meæ: Siquidem apertè locutus fui de Capite, seu Generali Ordinis, qui sit vt Prælatus ordinarius, & quasi episcopalem iurisdictionem erga inferiores Abbates, aliosque Professos exercens, cit. p. 9. Iustæ defens. Apparebit autem in allegato c. vlt. & penult. de statu Monachorum, Præsidentes illos tali auctoritate & iurisdictione præditos non fuisse. Ita enim legitur ex Concil. generali sub Innocentio III. in allegato c. penult. *Ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso, ita quòd ex hoc nullus eorum sibi auctoritatem prælationis assumat: vnde, cùm expedierit, prouida poßit deliberatione mutari.* Quæ verba animaduertit Astrologus intentioni suæ aduersari, ideo violenter eorum sensum interuertit fol. 240. in fine: *Nihil hic esse, quod deroget ipsorum* Præsidentium *iurisdictioni vel auctoritati in subiectos Abbates: sed eantùm, quod obstet arrogantiæ, ne quis ita sibi assumat prælationem, vt credat se mutari non posse, cùm expedierit.* Profectò vel inde liquet, hominem hunc malam causam fouere, quia talia effugia quærit. Et estne, aut vnquam fuit auditum, (præserrim in Ordine S Benedicti) vt Prælati, & quidem maiores ac generales, pro libitu, si expedire videatur, amoueri possint? 293.

Præterea ait Innoc. III. in allegato c. penult. *Ordinentur in eodem Capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ Abbatias eiusdem regni, aut Prouinciæ VICE nostra studeant visitare, corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere: Ita, quod si Rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum, denuntient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret. Quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen.*

Si Præsidentes illi fuissent Prælati ordinarij, concurrentes in Iurisdictione cum Episcopo, non priuatiuè, sed cumulatiuè (sicut explicat Aduersarius fol. 241. n. 32. 33.) quid opus fuisset, vt Visitatores isti visitarent, 293. inquirerent, corrigerent, & reformarent Monasteria (prout etiam legimus in c. vlt. alleg. tit.) auctoritate Apostolicæ Sedis, cùm talem potestatem ab ipsis Præsidibus accipere potuissent? Quid etiam opus fuisset, vt, si Abbas ob dilapidationem amouendus videretur, Episcopo diœcesano denunciaretur, eoque adimplere negligente, Sedi Apostolicæ intimaretur, cit. c. vlt. §. Quod si Abbas. Potuissent vtique etiam Præsidentes auctoritatem suam interponere, si cum Episcopo concurrentem habuissent.

Ad Panormitanum quod attinet in allegato c. vlt. de Regular. Is expressè loquitur de Abbate generali cum simili potestate constituto, quales erant Præsides in suprà allegato c. penult. & vlt. de statu Monach. Videl. qui habeat potestatem inferiores Abbates, Priores, &c. excommunicandi,

nicandi, fugitiuos & eiectos ad Monasteria sua reducendi. Cùm itaque nec ex illis constitutionibus, quibus Panormitani doctrina innititur, nec ex eiusdem verbis vllo modo colligi posſit, eiusmodi Præsidem, aut Abbatem generalem, debere esse Prælatum ordinarium, ideo nihil allegatio ista ad rem facit.

Sed neque Erasmi à Chokier doctrina de Iurisd. Ordinarij p. 1. qu. 15. quidquam mihi repugnat, cùm præcisè loquatur de potestate, speciali iure à Sede Apostolica concessa alicuius Ordinis Patri Generali, ad visitandum, corrigendum, iudicandum omnes Ordinis personas, exinde non rectè inferri, Ordinem esse exemptum ab Episcopo. Quod verum est, atque satis id colligi potest ex cit. c. penult. & vlt. *Iurisdictio specialis*, ait Chokier cit. loco, *censetur concessa cumulatiuè, non verò priuatiuè.* Et postea: *Ex priuilegio quocunque Pontificis, nunquam censetur ordinariæ potestati derogatum, nisi exemptio formalibus vel æquipollentibus verbis concedatur, text. in c. pastoralis, de priuil. Vnde etiamsi Ordinum Generales ius habeant visitandi, corrigendi, iudicandi totum Ordinem, non ideo tamen Ordo à iurisdictione Ordinarij exemptus esse censendus est, nisi Ordini nominatim exemptio concessa sit.* Ostendere autem deberet Astrologus, quòd talis Abbas à Sede Apostolica iure speciali constitutus ad visitandum, ac corrigendum totum Ordinem, in ordinaria iurisdictione ac prælatura concurreret cum Episcopo, quod neque ex Erasmo à Chokier, neque vllo Auctore, vnquam ostendet.

Denique omittere non possum hominis huius ineptiam, quando ad confirmationem eorum, quæ aduersus me disputauit, etiam Panormitani testimonium fol. suo 241. n. 33. profert, in c. quoniam n. 4. de Offic. Ordinarij. *Numquid autem Papa posſit prouidere dispensatiuè, vt duo Episcopi sint in eodem Episcopatu omnino pares. Textus singul. videtur innuere quòd sic, c. non autem, causa 7. q. 1. Nam hoc accidit in persona S. Augustini. Refert tamen ibi Archidiac. Augustinum dixisse, quòd si sciuisset prohibitionem Ecclesiæ, non acceptasset. Credo tamen, quòd ex causa posset Papa id statuere: Nam olim in primitiua Ecclesia omnes Episcopi regebant Ecclesias in communi, vti notatur in c. cum sit, de appellat.* 294.

Cùm receptum sit apud Doctores, quòd allegatio Doctoris, super qua ipse fundatur, non plus probat, quàm id quòd allegatur, perspicuè liquet, hanc Abb. Panormitani doctrinam Aduersario plus obesse, quàm prodesse. Etenim rectiſsimè obseruauit allegatus Archidiaconus, errorem hûc agnouisse S. Augustinum, sicuti ipsemet testatur epist. 120. tom. 2. *Adhuc in corpore posito B. memoriæ Patre Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Nicæno Concilio prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Addo, quod Gl. fin. super cit. c. non autem, adeò, id pro absurdo habuerit, si in vno episcopatu duo essent Episcopi, potestate pares, vt quasi vim inferendo illi textui, dixerit, quòd Augustinus in administratione fuerit minor, & alterius vicarius; reddens rationem, *Ne sit ibi monstrum ha-*

bens duo capita, c. quoniam, de officio Ordinarij. Vbi hæc verba legimus, ex Concilio generali sub Alexandro III. Papa: *Prohibemus omninò, ne vna eademq; ciuitas, siue diœcesis diuersos Pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum.*

At verò in c. cum sit Romana, de appellat. nihil prorsus habetur, quod vel in speciem Abbatis sententiam adiuuare possit. Præterquam quòd etiam falsum est, in primitiua Ecclesia Episcopos omnes rexisse Ecclesias in communi. Tametsi enim omnes Apostoli à Christo Domino immediatè acceperint potestatem erga Ecclesiam vniuersalem (prout Aduersarius obijcit cit. fol. 241.) omnes tamen S. Petro subiecti, ab eodemque particularium Ecclesiarum Episcopi creati fuerunt, ita vt alter alterius iurisdictioni saltem ordinatè ac decenter, se immiscere non deberet. Deniq; non apparet causa, ob quam Roman. Pontifex statuere posset, vt in eodem episcopatu essent duo Episcopi omnino pares, siue ita, vt neuter alteri vllo modo subordinatus existat. Neque obstat, id docuisse Abbatem Panormitan. magnum quidem Canonistam, sed exiguum Theologum.

CENSVRA XLIII.

QVandoquidem Aduersarius fol. suo 229. acriter in me inuehitur, quia docuerim, Monasteria Ordinum, quæ Episcopis subiecta sunt, Generale Caput habere nō posse, ideò afferendæ sunt alię Astrologi, & quidem insignes circa hoc punctum imposturæ, quibus refutatis, res tota magis adhuc elucebit. Fol. 240. ita loquitur: *Generalis, absolutè sumptus, abstrahit ab exemptione, diuiditurq; in Generalem exemptum, & Generalem nō exemptum. Quare, cum Martinus Nauarrus comm. 4. de Regular. n. 22. §. Secundò fit, tanquam membra opposita ponit, esse Generalem & esse subiectum Episcopo, manifestè loquitur de Generali exempto, qualis est in omnibus ferè Ordinibus mendicantibus, in quibus, vt ait loco cit. Nauar. quasi omnia Monasteria sunt exempta à iurisdictione Episcopi. Illuc nos Lectorem remittimus.* 292.

Operæ pretium erit, callidas, quæ hic latent machinationes ac fraudes, discutere, & ad veritatis cognitionē, aperire. Primò, Quid sibi vult Astrologus, quando ait Generalem Ordinis alium *esse exemptum* ab Episcopis, & alium *nō exemptum*? Intelligine debet, sicuti verba sonant de ipsomet Generali, posse aliquem constitui qui Ordinis Generale Caput sit, & tamē Episcopis subiectus? Iste sensus prorsus repugnat Aduersarij intētioni, vti perspicuè apparet ex dictis eius, præsertim fol. 242. n. 32. & seq. Inter alia ait: *Elucet* propositionem Opponentis *falsam esse, nempe, esse inauditum in Ecclesia, & Sacris Canonibus aduersari, vt Religiosi duos Superiores habeant, quorum vnus alteri SVBORDINATVS non sit. Imò in Ordine S. Benedicti, & Canonicorum Regularium S. Augustini, hoc ipsum Sacri Canones expreßè iubent, ac præcipiunt.* Intelligit c. penult. & c. vlt. de statu Monach. quæ n. 31. allegârat. 159.

An verò impropriè verba illa Astrologi accipi debent? vt sensus sit: Alium esse Generalem Ordinis, aut Monasteriorum exemptorum: Alium verò Generalem Ordinis aut Monasteriorum non exemptorum. Tunc friuola nimis & inepta reddetur interpretatio doctrinæ Nauarri, quòd is tanquam membra opposita ponens, *Esse Generalem, & esse subiectum Episcopo*, loquatur de Generali exempto. Quid enim certius, aut manifestius esse potest, quã esse Generalem Ordinis, aut Monasteriorum Episcopo subiectorum, oppositum esse Generali Ordinis aut Monasteriorum exemptorum? Quòd si hoc tantùm voluisset Nauarrus, profectò opus non fuisset, vt in hac re ostendenda, vtpotè ex ipsis terminis notissima, aliquot typi columnas impleret. Non euadet itaque Astrologus, quidquid dicat, quomodocunque sua verba, quæ lubricè, & ad decipiendum aptè posita sunt, interpretetur.

Cæterùm, vt res ad oculum pateat, præsertim quia ipsemet Aduersarius ad textum Nauarreum appellat, ideò verba eius aliqua exscribam, vt hominis illius impudentia, atque peruersitas iterum cognoscatur. Comm. illo 4. de Regular. dicto nu. 22. hæc verba habet Nauarrus. *Iure communi antiquo, non faciebant vnam Congregationem & vnum corpus multa Monasteria, sed singula singulariter subiacebant Episcopis, c. 1. c. si quis Abbas & c. Abbates 18. q. 2. Imò nec attento iure nouiore Concilij generalis positi in c. In singulis, & c. Ea quæ, de statu Regul. Per quæ licet fuisset constitutum, vt in singulis regnis, vel prouincijs omnium singulorum Ordinum singula Concilia singulis quibuscunque triennijs fierent ad statuendum & reformãdum in eis, priuationes tamen Prælatorum remittebantur Episcopis.*

Iterum, interiecta vna columna, ita loquitur Nauar. *Ex prædictis desumitur ratio, quare aliqui Canonici regulares non possint cogi transire ad aliud Monasterium, etiam eiusdem Diœcesis, aliquot autem sic. Illi enim qui non faciunt vnum corpus, nec habent Generalem qui sit Caput illius, sed singula eorum Monasteria singulariter subsunt Episcopis, vel Papæ immediatè, non possunt ad id cogi.* Et mox: *Illi verò, quorum Monasteria faciunt vnum corpus, & habent Generalem qui est Caput eius, poterunt ad id compelli iure particulari suorum statutorum, confirmatorum à Papa, per quæ suo consensu suæ regulæ adiecta, faciunt vnum corpus, & habent vnum Generalem, qui est Caput eius.*

Et paucis interiectis: *Secundò fit, vt subtiliter, & vtiliter dubitari posit, An executio cap. 8. de Regular. Concil. Trid. sess. 25. quo iubentur omnes Regulares etiam Canonici, Congregationes in suis prouincijs, iuxta formam Concilij Generalis positi in c. in singulis, & c. ea quæ, de statu Monach. possint fieri prædictæ coactiones, & facultates ad transeundum de vno Monasterio ad aliud eiusdem prouinciæ? Ad quod breuiter respondeo, quòd non. Quia dispositio illorum capitulorum non se extendit ad hoc, neque præcipit quòd sit, vel fiat aliquis Generalis eorum: Imò expressè disponunt, vt Superiores eorum remaneant subditi Episcopis, vt per se patet, & suprà tactum est.*

Hæc est doctrina Mart. Nauarri, quæ tantò pluris ab omnibus æstimari debet, quantò ille cùm in praxi ecclesiastica, tum vel maximè in regularibus eiusmodi quæstionibus, vtpotè & ipse S. Augustini regularis Canonicus, ante alios Canonistas, exercitatior est. Per eam autem doctrinã penè omnia, quæ Astrologus fol. suo
290. & seqq. 238. vsq; ad 252. acriter reprehendit, tanquam malè in Iusta defens. tradita fuerint, approbantur, hominis quoque illius tam inscitia, quàm malitia detegitur.

Primò enim perspicuè apparet, Præsides illos, de quibus mentio fit in c. In singulis, nõ fuisse propriè Monasteriorum Capita, aut Prælatos. Quia licet fuerit constitutum, ait Nauarrus, vt singulis triennijs fierent Capitula, ad statuendum & reformandum, priuationes tamen Prælatorum remittebantur Episcopis.

Secundò apparet, quòd Nauarrus pro oppositis, seu simul non consistentibus habuerit: Monasteria Episcopis subiecta habere Generalem, qui sit Caput illorum. Id verò, & non aliud docuit Iustæ defens. Auctor: Ergo frustra oppugnatur ab Aduersario: Esse hanc eius *doctrinam falsam, errorem grauem*: Eam *in Ordinis S. Benedicti iniuriam redundare*: *Graues omnium Ordinariorum cordibus insidias strui*, vti Lector legere poterit
290. 291 fol. 238. n. 29. & fol. 239. in fine, astri inextincti.

Tertiò apparet: Si Monasteria, quę exempta non sunt, secundùm constitutionem Concilij generalis c. penul. & vlt. de statu Monachorum, ad Capitula redigantur, non ideo inferri posse, quòd faciant vnum Corpus, aut habeant Generalem. *Quia non præcipit Concilium*, inquit Nauarr. *vt sit, vel fiat aliquis Generalis eorum*: *Imò expreßè disponunt* (ea cc.) *vt Superiores eorum remaneant subditi Episcopis*.

Quartò apparet, secundùm Nauarri doctrinam, Prælatos in Monasterijs Episcopo subiectis, neque cogere posse Religiosos suos, neque eisdem facultatem concedere ad aliud transeundi Monasterium. Dubitari potest, inquit, vtrum iuxta Concil. Trident. & Constitut. In singulis, *fieri possint prædicta coactiones & facultates ad transeundum &c. Ad quod respondeo, quòd non*. Eodemque n. 22. §. Tertio quòd, hanc vnicam rationem affert Nauarr. cur in Ordinibus Mendicantium. *Prouincialis potest facere facultatem Monachis, vel Fratribus suæ prouinciæ, & etiam cogere eos ad transeundum*: *Generalis autem potest facere facultatem transeundi, simul & cogere ad transeundum non solùm de vno Monasterio ad aliud eiusdem prouinciæ, sed etiam ad aliud alterius*, rationem, inquam, adfert, quia *Monasteria illorum sunt exempta à iurisdictione Episcoporum, atque diuisa in prouincias, & habent suos Prouinciales, & Generalißimum immediatè subiectum Papæ*.

Per hæc autem Nauarri dicta refutantur, quæ ab Astrologo fol. 129. 71.
fol. item 246. & multis seqq. de potestate ac iurisdictione regularium 309.
Prælatorum in suos, disputat, & Doctorum auctoritates cumulat, quarum non paucas inter se prorsus contrarias,

trarias, reperiet Lector: Contraria autem allegantem de falsitate suspectum esse, ipsemet anteà dixerat. Non pauci item ab ipso allegati Doctores vel apertè falsum dicunt, vti est illud ex Octauiano Spathario allegatum fol. 249. in fine: *Receptissimum est in toto Orbe, à tempore D. Gregorij I. Regulares* OMNES (id verbum maiusculis exprimi voluit Astrologus) *exemptos esse ab Episcoporum iurisdictione: Vnde iam Episcopi non possunt procedere in causis criminalibus contra delinquentes Regulares*, partim verò, & quidem non pauci eorum loquuntur de Regularibus Hispaniæ, Italiæ, & aliorum quorundam regnorum, in quibus Regulares omnes, aut fermè omnes exempti sunt. Sed de hac re ad propositum non est agere.

CENSVRA XLIV.

306. FOl. 244. n. 39. ita scribit Aduersarius: *Superest, vt hoc loco errorem historicum & chronographicum, quo se vtroq; inuoluit Opponens* (Laymann.) *in appendice fol. 17. circa Monasterium Ochsenhusanum, ex archiuis eiusdem Monasterij obiter emendemus. Sic enim habet ille: Ochsenhusium olim Congregatio Monialium, postea Præpositura Ordinis S. Benedicti, incorporata vt membrum Monasterio S. Blasij, demum auctoritate Martini V. ante annos 180. factum est proprium Monasterium Ordinis S. Benedicti, nihilominus pendens à Monasterio S. Blasij Hundius fol. 280. & Casp. Bruschius fol. 96.* Et paulò post: *Certum quoque est, tam Opponentem, quàm præallegatos Auctores* (Hundium, Bruschium, & Myreum) *falli in aßignatione temporis, aut Maximi Pontificis, quo exemptionem huiusmodi accidisse scribunt. Neque enim per Martinum V. Anno Domini 1420. sed vndetriginta annis priùs à Bonifacio IX. concessa fuit hæc exemptio, nimirum Anno 1391. prout constat ex Bulla authentica eiusdem Bonifacij IX. quam ex Archiuo Ochsenhusano sæpius in manibus habuimus.*

Ad hoc dicitur primò: Rectissimè egisse Aduersarium, quando ex officij obligatione, pro celeberrimo Ochsenhusano Monasterio scribere voluit, ne alioquin imprudens Lector aliquis, ex verbis Iustæ defens. deceptus, illud adhuc hodie à Monasterio S. Blasij dependere arbitraretur.

Secundò: Tametsi non immeritò dubitare quispiam posset, vtri parti, quoad chronologian, maior fides habenda sit, tribusne illis Auctoribus, qui consentientes affirmant, exemptionem factam fuisse à Martino V. anno 1420. An verò Astri inextincti Auctori, exemptionem à Bonifacio IX. concessam esse asserenti, præsertim, cùm is ausus non sit exemptionis Bullam verbis cohærentibus afferre, sed partem eam, in qua perpetua liberatio, &c. exprimitur, eo modo fol. 245. Astri inext. collocârit, vt Lector cognoscere nō posit, num Martini V. an verò Bonifacij IX. verba allegentur: Veruntamen, cùm nescius non sim, Aduersarium magnam vtiq; rerum Ochsenhusani Monasterij notitiam habere, vt & Archiuium ipsi pateat, neque valde credibile sit, in re ista exigui prorsus momēti fallere

 voluisse;

voluisse: Ideo per me licet, vt Historicorum illorum relatio, donec certius aliquid cognoscatur, in hac temporis assignatione, vacillet.

Tertiò autem dicitur: Imprudenter egisse Aduersarium, quando Iustæ defens. Auctori, seu potiùs illi, qui Monasteriorum translatorum Catalogum composuit, errorem, & quidem duplicem, longa verborum deductione, adscribere aggressus est. Cùm tamen nimis facilis & manifesta sit illius defensio. Quando enim scripsit, Præposituram Ochsenhusanam, *quæ Monasterio S. Blasij incorporata erat*, postea *factam esse Monasterium propriũ*, nónne insanus fuisset, & sibi contradixisset, subijciendo, nihilominus pendere à Monasterio S. Blasij? Est itaque perspicuum illud mendum Typographi, qui pro *nihil omnino* (quod facilè accidere potuit, præsertim inter properandum) posuit *nihilominus*. Ad temporis verò rationem quod attinet, Auctor catalogi, posuit verba formalia Hundij, & quia cum eo alios quoque hac in re consentire vidit, non immeritò ipsis fidem habendam esse censuit.

CENSVRA XLV.

339. FOl. 252. n. 4. hæc leguntur: *B. mem. P. Petrum Canisium plurimum commendat* (Iustæ defens. Auctor) *quantumuis omnes allatæ laudes minores sint ipsius meritis: Inprimis autem fragmentum illud epistolæ Pij IV. quæ incipit. Ad aures nostras, dilecto filio nostro Othone Cardinali Augustano referente, peruenit &c. Constat enim ex c. quàm graui, de crim. falsi, iun. Gl. ibid. Hostiensi in summa eod. tit. n. 3. & communi, literas Pontificias esse falsas, in quibus Episcopi, præsertim Cardinales, à Papa filij vocantur, cùm sit stylus Romanæ Curiæ, vt fratres, non filij appellentur. Itaque tantum virum sinceriore encomio, quo dignißimus est, cohonestare debuisset.*

Triumphum hic agit Astrologus, quia Aduersarium suum Laymannum de manifesto falsi crimine conuicit. Textus enim allegati c. nimis clarus est: Nam Innocent. III. Papa scribens ibi ad Episcopum quendam, ait, se in literis, quæ, sub nomine suo Episcopo præsentatæ fuerant, deprehendisse falsitatem, atque admiratum fuisse, quòd tales literas à se crediderit emanasse: *Cùm scire debeas, Apostolicam Sedem consuetudinem in suis literis hanc tenere, vt Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, fratres, ceteros autem Reges, Principes, vel alios cuiuscunque Ordinis, filios in nostris literis appellemus.* At verò in Iusta defens. pag. 510. produxi ego epistolam Pij IV. Pontificis, tanquam ad P. Petrum Canisium B. M. scriptam, in qua Papa Ottonem Cardinalem Augustanæ Sedis Episcopum, filium appellat, & nõ fratrem. Consequens itaque est, vt & falsas literas protulerim, eaq; re bonum P. Canisium, maiore encomio dignum, minimè cohonestarim. Eandemque reprehẽsionem P. Matthæus Raderus, quem tamẽ ipsemet Astrologus fol. suo 18 o. circa medium, *doctißimum* appellauit, vnà mecum merebitur; Nam ex eius lib. 1. cap. 11. de 172.

vita

vita Petri Canisij fol. 113. literas eas accepi, ipseque P. Raderus satis significauit, se *originale* exemplum in manibus habuisse.

Quid dicemus? quomodo factum excusabimus? ne alioquin eodem crimine falsationis literarum Apostolicarum inuoluamur, quo Astrologus, quando Pij II. Bullam falsauit fol. 130. & ostendi supra cens. 13.

71. Explicabo rem clarè, vt iterum Astri inext. Auctoris cùm malitia, tum inscitia, quas vt indiuiduas socias in pectore suo gerit, manifesta fiant. Inprimis notum est, quòd vna eademq; persona in diuersis Ecclesijs diuersa officia, dignitates, appellationesque sortiri possit; vt qui v. g. in Cathedrali Canonicus est, in altera Collegiata Decanus sit: Tum verò si quæratur, à quonam officio aut beneficio appellationem potiùs sortiri debeat; respondebitur, inprimis rationem habendam esse loci, in quo vel persona residet, vel ex quo ad eam literæ diriguntur. Si enim Capitulum Cathedrale, vel Episcopus ad illum, de quo locutus sum, literas scribat, potiùs appellabit Canonicũ, quàm Decanum: Deinde considerationem esse oportere eius quod est dignius: Nam à digniore appellationem fieri, plerumque consuetum est: Ideoque ille Canonicus potiùs, quàm Decanus nuncupandus erit.

72. Applicemus hæc ad propositum: Otto Truchsessius anno 1561. die 5. Martij, quo eæ literæ à Pio IV. Pontifice datæ sunt, in Augustana Ecclesia Episcopus fuit, at verò in Romana Ecclesia Cardinalis Presbyter, & nondum Episcopus. Sunt enim S.R.E. Eminentissimi Cardinales aliqui titulo suo Diaconi, alij verò Presbyteri, & alij, ijque sex tantùm, Episcopi. Romanus Pontifex inter hos, tanquam Caput præcipui Romani Cleri, residens, omnes Cardinales Diaconos & Presbyteros *filios* suos vocat; sex verò illos Episcopos, *fratres*. Quia cùm ratio, tùm antiqua & laudabilis consuetudo postulat, vt Romanus Pontifex in appellationibus istis potiùs ad Rom. præcipuæ Sedis, quàm particularium Ecclesiarum titulos, attendat.

Hunc Romanæ Ecclesiæ stylum Romæ, si quæ vtilia sunt actitare voluisset, addiscere potuit Astri Auctor: Eandem quoq; consuetudinem ex Germania nostra, Vngaria, Bohemia, Morauia cognoscere. Nam, vt exempli causa dicam: Eminẽtissimus Pragensis Archiepiscopus, antequam Cardinalis esset, in literis Apostolicis *frater* appellatus, sed cùm primùm in S.R.E. Cardinalium numerum ascitus, *filius* à Romano Pontifice vocatus fuit.

Verùm ne existimet Astrologus, me diuinare, aut pro arbitratu ista confingere, ideo ex Cathedralis Augustanæ Sedis Archiuio produco Apostolicæ Sedis literas ad suprà dictum Ottonem Cardinalem, & Augustanum Præsulem diuersis temporibus scriptas: Literæ Pauli III. Pontificis, datæ die vlt. Iulij, Anno 1545. Pontificatus anno vndecimo, quarum initium: *Dilecte fili, salutem & Apo-*

stolicam

stolicam benedictionem, Tuæ deuotionis erga Nos, & Sedem Apostolicam sinceritas, tuorumq; magnitudo meritorum promeretur, &c. Inscriptio verò est ista, *Dilecto filio nostro Ottoni, Sanctæ Rom. Ecclesiæ Presbytero Cardinali Augusten. nuncupato.*

Aliæ literæ eiusdem Pauli Papæ III. datæ die 1. Augusti, Anno 1545. Pontificatus anno vndecimo, quarum initium: *Dilecte fili, nostram salutem & Apostolicam benedictionem. Volentes tibi, qui pro tuorum magnitudine meritorum, Cardinalatus honore præfulgere, ac Ecclesiæ Augusten. ex dispensatione Apostolica præesse dignosceris, illa concedere,* &c. Inscriptio ista, *Dilecto filio nostro Othoni Sanctæ Rom. Ecclesiæ Presbytero Cardinali Augusten. nuncupato.*

Aliæ literæ Iulij III. Papæ, die 16. Febr. Anno 1555. Pontificatus verò quinto datæ, quarum initium: *Dilecte fili, nostram salutem & Apostolicam benedictionem: Ne quid vllo vnquam tempore, tametsi interdum, non ita necessariò prætermittamus, quod ad nostrum soliciti & boni Pastoris officium spectare videatur, vtque charissimo in Christo Filio nostro Romanorum Regi in ijs, quæ cum DEO possumus & vobis semper satisfiat: Dilectum filium nostrũ Ioannem tituli S. Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem Moronum, nostrum & sanctæ huius Sedis de latere Legatum, ad eius Serenitatem misimus,* &c. Inscriptio literarum, *Dilecto filio nostro Ottoni tit. S. Sabinæ Presbytero Cardinali Augusten. nuncupato.*

Proferam nunc *motum proprium,* quem Pius IV. Papa ad eundem Cardinalem Ottonem dedit, cum is titulo Episcopus Albanensis esset, ideoque in ijs à Pontifice *frater* appellatus fuit, Anno Incarnat. Dominicæ 1562. Non. Decembr. Pontificatus anno tertio: Eius initium est: *Pius Episcopus seruus seruorum DEI, Venerabili fratri Othoni Truchses de VValpurg Episcopo Albanensi, Cardinali Augustano nuncupato, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad personam tuam, quam meritis pollêtem, & virtutibus insignitam multiplicium gratiarum muneribus insigniuit Altissimus, paternæ considerationis dirigentes intuitum, &c.*

I nunc Astrologe, atque imposterum disce priùs, quàm alios docere audeas; aut tanquam malè docuerint, seu scripserint, temerè accusare.

CENSVRA XLVI.

FOl. 253. non longè post principium hæc scripsit Astrologus: *An dicere vult Opponens* procœm. Iustæ defens. n. 13. *boni Confessarij munus esse, iustitiam impedire: naturalis rationis dictamen præcipere, vt æquum pro iniquo reputetur: Societatis regulas iubere, vt moneatur Imperator, quòd coram DEO facilè possit excusari, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra voluntatem fundatorũ, etiam in aliorum Ordinum præiudicium, ad alios vsus conuertantur, & doctrinam contrariam continere errores, falsa, non satis cohærentia cum fidei Catholicæ principijs, Ecclesiasticæ traditioni &c. adeoque Societatis regulas iubere, vt Monasteria suis Ordinibus debita, per Confessarios Principum, reiectis motiuis & mandatis legitimis, ad Societatem deriuentur, iuxta id quod* 339.

sed quod alibi (ad marg. allegatur *monita priuata Societat. IESV cap. 3.*) *reperio: In Germania & Polonia magna est auctoritas Episcoporum, qui paruo labore collata re cum Principe, Monasteria, Parochias, Praepostituras, Altaria, fundationes, &c. nobis possunt attribuere, contentatione quacunque facta sacerdotibus secularibus: quod in ijs locis assequi possumus, vbi Catholicis haeretici & schismatici sunt permixti: ostendaturque Episcopis, magnum fructum eos hac re facturos, quem à secularibus Sacerdotibus & Monachis praeter tantum expectare non possint.*

Calumniandi ansam Astrologo hîc praebuit epistola, quam ad Sacr. Caesar. Maiestatem R.P. Guilelmus Lamormaini scripsit: *Literis, tam ad Episcopos, quàm ad Oratorem Caesareum, rationes & argumenta quaedam apponuntur, quae neque faciunt ad probandam aequitatē Caesarei mandati; & propositiones continent, non solùm menti, rescriptis, & praxi Sacr. Caesar. Maiestatis Vestrae, & Imperatorum Antecessorum (etiam eorum qui catalogo Sanctorum sunt adscripti) & Summorum Pontificum è diametro oppositas; sed etiam eiusmodi, vt sine temeritate, scandalo, errore, pronunciari non possint; cùm doctrinam contineant non satis cohaerentem cum Fidei Catholicae principijs. Quas rationes certum est, obreptitiè in Sacr. Caesar. Maiestatis Vestrae epistolas, contra mentem Vestrae Maiestatis, à non nemine incautè, & extra omne propositum, intrusas esse; quas qui intrusit, fortè non aduertit, se iuri & authoritati tam suae Sanctitatis, quam Sacrae Caesar. Maiestatis Vestrae plurimùm detrahere. Exhibuit etiam mihi non ita pridem Illustriss. & Reuerendissimus Cardinalis Palottus legendum quoddam scriptum, quo scripto ad me misso, propositiones illae omnes continentur; & è quo, vt apparet, in epistolas Caesareas irrepserunt. Cùm igitur & Roma, & ex Imperio grauiter arguar ego inprimis, (cùm enim illa proponantur, tanquam si Maiestas Vestra tuta conscientia aliud facere non possit, omnes existimant, conscio & probante Confessario ista proponi, & scribi) & scriptura longa super ea re sint confecta, & ad me missa, quibus ego sugillor, &c.* Videri possunt quae sequuntur Iustae defens. pag. 326.

Ante omnia hic quaedam annotasse, operae pretium erit. I. Quòd P. Confessarius Caesareus, non obscurè indicat, Caesar. Maiestatem mandasse quidem, vt ad Oratorem suum, & quosdam Dominos Episcopos scriberetur (intellige, de Monasterijs, bonisque Ecclesiasticis Romae, praeproperè & sine scientia ac voluntate suae Maiestatis non concedendis, neque petendis) attamen epistolis ac mandatis ijs, rationes & argumenta errores, &c. continentia (quae ante hac ab aliquo concepta, & Eminentissimo Cardinali Palotto transmissa fuerant) contra mentem & praxin suae Maiestatis, obreptitiè intrusa fuisse.

II. Quod P. Confessarius culpam eius obreptionis nō in Sac. Caes. Maiestatis Domin. Consiliarios conferat; sed in vnicum hominem, qui incautè & extra omne propositum rationes eas literis intrusit. Exinde autem falsitatis arguuntur, quae in act. perduell. fol. 6. & seqq. scripta, & benè refutata sunt in Antimelandro P. Laurentij Forer p. 2. c. 2.

III. Cur P. Confessarius, posteaquam ex varijs locis ad ipsum transmissis scripturis, admonitus fuerat, vt huic rei remedium adhiberi curaret, denique in animum induxerit, ad Sacr. Cæsaream Maiestatem *memoriale* illud transmittere: Videl. quia rationes illæ & argumenta pręse ferebant, Cæsarem ratione conscientiæ obligatum esse, vt prohibeat, ne vlla talis Monasterij, aut bonorum ecclesiasticorum translatio ad alium Ordinem, Episcopalem mensam, aliũve vsum pium fiat, eò quòd coram Deo vix ac difficulter excusari queat, si similes in iure diuino stabilitæ fundationes, *contra fundatorum mentem & institutum, aliò conuertantur & applicentur.* Id verò, iuri & authoritati tum suæ Sanctitatis, tum Cæsareæ Maiestatis plurimum detrahere, rectissimè censuit P. Lamormaini.

His annotatis, intelligentur verba procem. n. eo. 13. quem Astrologus allegauit: *Cùm à pluribus, &, quod maximè attendendum erat, à Romanis quoque, & Nuncijs Apostolicæ Sedis, ipsoq; ad Cæsaream Maiestatem destinato Cardinale Palotta admoneretur, denique tum his admonitionibus, tum ipsa rei grauitate atque officij sui, secundùm conscientiam, obligatione permotum Patrem* Confessarium *rectè egisse, & aliter agere non debuisse: imò si Cæsaream Maiestatem non monuisset, quòd reprehensionem meritus fuisset, tanquam boni Confessarij officio, secundùm naturalis rationis dictamen & Societatis nostræ regulas, non rectè functus.*

Superest iam, vt Astrologi nostri falsationes, & calumnias numeremus. Primò: Inanis, quin & iniqua est sugillatio illa: *An dicere vult Opponens, boni Confessarij munus esse, iustitiam impedire, &c.* Quandoquidem nunquam ostendit Astrologus, Monasteria, & bona eorum ecclesiastica, de quibus nobis sermo est, adeò esse Ordinibus debita, vt iustitiæ, ac iuri naturali vel diuino repugnaturum sit, si aliqua eorum Pontificia & Imperatoria auctoritate ad alium Ordinẽ, aliamve piam causam transferantur. Itaq; apparet hinc, Astrologũ petitione principij, siue assumptione eius, quod manifestè falsum & ecclesiasticæ traditioni repugnans est, Lectori denuo imponere voluisse.

Altera, eaque insignis falsatio & impostura est, quando significat, Imperatorem à Confessario, & quidem, me interpretante, secundùm Societatis nostræ regulas, monitum fuisse, *quod coram DEO facilè poßit excusari, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra voluntatem fundatorum, etiam in aliorum præiudicium ad alios vsus conuertantur.* Quæ omnia verba Aduersarius, distincto charactere, & quædam eorum maiusculis literis, quasi Aduersariorum suorum sint, signari curauit: Cùm tamen nec verborum illorum contextus, nec sensus aut sententia, seu in epistola P. Confessarij, seu in Iustæ defens. libro vspiam reperiatur. Et verò, nemo hominum, nisi insanus aut impius sit, ad Sacr. Cæsar. Maiestatem, scribere audebit, *quòd coram DEO facilè excusari poßit, si in iure diuino stabilitæ fundationes, contra mẽtem fundatorum, etiam in aliorũ præiudiciũ ad*

alios

alios vsus conuertantur. Non itaque hoc voluit P. Confessarius, sed falsum & errori obnoxium esse censuit, quòd in intrusis rationibus significabatur, conscientiæ Cæsaris, ac iuri diuino repugnaturum, si talem Monasteriorum translationem, per Apostolicæ Sedis auctoritatem, fieri permittat.

Itaque, vt clarissimè rem totam explanem, ratio illa prima, epistolæ Cæsareæ obreptitiè intrusa, *Quod coram DEO vix ac difficulter*, &c. propositiones inter se copulatas continet, quæ ita diuidi & in syllogismi formã redigi debent: Coram DEO vix ac difficulter excusari potest, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra fundatorum mentem aliò conuertantur: Si autem per Sedis Apostolicæ auctoritatem, consentiente Cæsare, Monasteria aliqua, ad alium Ordinem, vel pium vsum transferrentur, tum in iure diuino stabilitæ fundationes, contra fundatorum mentem, aliò cõuerterentur: Ergo talis translatio coram DEO vix ac difficulter excusari potest. Hæc ratiocinatio, cuius propositio minor falsa, & erronea est, tota vitiosa, eiusque illatio vt falsa damnari debet: quia, vti Dialectici aiunt, *conclusio sequitur deteriorem partem suæ causæ.*

Sophistam igitur agit Astrologus, quando ex eo, quod Confessarius Cæsareus in epistola sua, Theologus secularis in iudicio, eorumque defensor Laymannus, rationem illam in epistolas Cæsareas intrusam de errore damnarunt, in sensu vtique complexo, ipse colligit, & Lectori proponit sensum diuisum, quasi ab Aduersariis suis propositiones singulæ negatæ fuerint, etiam Maior illa, Quod *coram Deo vix ac difficulter excusari potest, si in iure diuino stabilitæ fundationes contra fundatorum mentem, aliò transferantur.* Dixi de hac re etiam suprà cens. 54. propterea quòd Astrologus tam hic, quàm fol. suo 194. easdem pueriles fallacias copiosè deducat, & in act. perduell. fol. 8. & 32. eadem reperiuntur. 202.

Tertia Astrologi impostura in hoc consistit, quòd rationes eas, à mente Sacr. Cæs. Maiestatis alienas, ijsque vitiatas literas Cæsareas, *motiua & mandata legitima* non tantùm appellare, sed etiam, tanquam res extra controuersiam posita sit, exinde P. Confessariũ, & Societatem nostram, eiusque regulas oppugnandi occasionem sumere audet, sicuti mox apparebit.

Quarta enim, eaque grauis admodum, ac perniciosa hominis huius impostura in eo cernitur, quãdo ex suppostitio, à pessimis hominibus confìcto libello, cuius inscriptio, *Monita priuata Societatis IESV*, maleuolentiæ suæ atque odij erga nos effundendi causâ, iniqua subsidia asciscit: Cum tamen ea *monita priuata*, tanquam libellus famosus, & perniciosa aduersus Societatem conficta commenta continens, primum in Polonia (vbi typis excusa erant) ab Illustrissimo & Reuerendiss. Nuncio Apostolico, Episcopo item Cracouiensi, deinde etiam Romæ ab Eminẽtissimis Cardinalibus *Congregationis Indicis* ante

annos 18. damnata fuerint; & non multò post videl. Anno 1618. à P. Iacobo Gretsero, b. m. tribus libris apologeticis, Ingolstadij editis, refutata. Quæ fusiùs declarata reperientur in Anatom. P. Laurentij Forer sect. *6.* fol. *66.* & seqq.

Tametsi verò ea *monita priuata* dudum reiecta & refutata fuerint, tamẽ à tribus circiter annis, multa, manu scripta exemplaria per Germaniam, maleuolorum hominũ studio transmissa, & vulgata sunt; non eadem verborum ac sententiarum forma, sed sicuti calumniatori cuilibet ad nocendum accommodatiùs visum fuit: Vidique ego ipse, Oeniponti ac Halæ Tyrolis, intra biennium, verbis ac sententijs discrepantia exemplaria, quæ diuersorum Ordinum Religiosis, vtrisque secularibus missa, aut donata fuerant; & tam absurda, atque à Societatis nostræ instituto, ac viuendi consuetudine, abhorrentia complectebantur, vt nemo hominum, qui Societatis nostræ aliquam notitiam habuit, ijs fidem habere posset. Quamobrem incredibile necesse est in Astrologi pectore contra Societatem nostram cõceptum esse odium, quòd posthabita tùm veritatis agnitione, tùm Apostolicæ Sedis censura, priuata ea monita denuo ad Societatem denigrandam, & apud rerum ignaros exosam reddendam, veluti ex orco reuocare non erubuerit. Idque longè copiosiùs in Anatomia pag. 49. & videre licet in Anatom. P. Laurentij Forer sect. 6.

CENSVRA XLVII.

FOl. 253. prope finem hæc adfert Aduersarius: *Neque in operis* (Iustæ defens.) *fronte, vbi Opponens hæc verba posuit, Cùm facultate Superiorum, & Cæsareæ Maiestatis priuilegio, prudentes persuadere sibi vllo modo possunt, Oppositorem habuisse facultatem, multò minus Cæsareum priuilegium, contra Prælatos Ecclesiæ, Sacratißimum Imperatorem, antiquos Ordines, ipsosq; Canones & Concordata scribendi, vel taliter scripta palam euulgandi.*

Resp. Iustæ defens. librum in Dilingana Academica Typographia, apposito tam Auctoris, quàm Typographi nomine, excusum fuisse, exploratum & indubitatum est. Sed & id satis notum, atque testatum, quòd ex ea Academia, & Typographia nullus liber prodeat, nisi antea legitimè censu, probatusque sit, atque à Superioribus accepta edendi facultate. Denique nec id in dubium vnquam reuocatum, quòd eadem Typographia libros cum Cæsareo priuilegio excudendi, ac vendendi facultatem habeat. Veruntamen, si ad verba Astrologi rectè attendimus, ipse hæc non negat absolutè; sed, vt frequenter solet, per sensum compositum Lectorem fallere studet, *Oppositorem non habuisse facultatem & priuilegium contra Prælatos Ecclesiæ, &c. scribendi & euulgandi.*

Ego autem efficacius arguo Astrologum, atque absolutè, vereque dico; Quòd nullum penitus libros eos *Astrologiam ecclesiasticam* & *Astrum* inex-

inextinctum edendi priuilegium à Cæsare acceperit; ac proinde nō sine falsatione, in fronte librorum hæc verba posuerit, *Cum perpetuo Cæsar. Maiestatis priuilegio.*

CENSVRA XLVIII.

356. FOl. 258. prope finem, hæc scripsit Aduersarius: *Constat, ante susceptæ defensionis editionem, dictorum duorum, imò plurium Theologorum, aut similium iudicia, controuersias, animaduersiones, vel discursus, quin etiam typo contra religiosos Ordines exinde commissas, atque durantibus Ratisbonæ Comitijs Electoralibus, passim apud Magnates & Consiliarios Principum distributas Annotationes, itemq; Disceptationem, vt vocant, solidam & modestam, absque authoris, vel typographi nomine, & absque legitima approbatione per haud ignotos homines prodijsse.* Et in margine annotantur hæc verba, *Quomodo fuerint prouocati ad scribendum Ordines antiqui.*

Multæ hic falsitates ac deceptiones latent, quas breuissimè, aperiendo veritatem, detegam. I. Controuersias, Animaduersiones, vel Discursus, (ne secùs, quam res se habeat, Lector ex verbis Astrologi colligat) nemo ex Patribus Societatis nostræ vel scripsit, vel typo vulgauit.

II. Quod attinet ad *Annotationes*, & *Disceptationem solidam ac modestam* (quæ vix trium quaternionum folia explebant) res ita se habet. Cùm & alij libelli famosi manu scripti, & illa ipsa *Suscepta defensio*, *contra iudicium duorum Theologorum super translatione restituendorum in Imperio Cœnobiorum ad Societatem IESV* cùm adiuncta ei *Disceptatione seu quæstione, vtrum bona ecclesiastica & Monasteria*, &c. typis publicis excusa prodijsset, & in Comitijs Ratisbonens. Ann. 1630. plurimis Principibus, Comitibus, Consiliarijs Cæsareis, alijsque clam & palàm magno numero à quibusdam Religiosis distributa fuisset, rogatus per literas fui, vt de his controuersijs sententiam meam conciperem, & Dilinga Ratisbonam mitterem. Parui, & misi circa medium Octobr. eiusdem Anni, duas quæstiones, (prout fassus etiam sum in Iustæ defens. proæmio n. 85.) vnà cum Annotationibus, quarum Astrologus hic meminit; sed sine additionibus ex Ioann. Trithemio Abbate collectis; quippe quas nunquam vidi, antequam typis publicis prodierunt. Excusæ autem fuerunt annotationes, & quæstiones illæ non Ratisbonæ, sed alibi, me nesciente, quas neque in typo vidi, donec Ratisbonam iter facienti, eodem mense extremo Ingolstadij mihi exhibitæ fuerunt.

III. Postquam Ratisbonam veneram in vigilia S. Wolfgangi, seu penult. die Octobris, ostensum mihi fuit volumē, duos in se libellos complectens, *Susceptam defensionem*, & *Disceptationem seu quæstionem.* Quod aliquot antè hebdomadibus, Principibus, & Proceribus, vt dixi, Ratisbonæ oblatum erat, & in plurimorum tunc manibus versabatur. Hæc notissima & contestatissima sunt. Qua fronte itaque Astrologus Lectori in-

ſinuare audet, imò apertè edicere, antiquos Ordines ex duabus quæſtionibus ijs, & annotationibus typo editis, ad ſcribendum aduerſus Societatem noſtram prouocatos fuiſſe? Cũ tamen manifeſtè conſtet, antequam de ſcribendis ijs annotationibus aut quæſtionibus cogitationem vllam ſuſcepiſſem, famoſos illos libellos non tantùm ſcriptos, ſed & excuſos fuiſſe, perque omnium manus Ratisbonæ volitaſſe. Præterea, vt Aſtrologi mẽdacium ab omnibus liquidò deprehendatur: Quæro, ſi ex editis illis annotationibus ac quęſtionibus, occaſio ſcribendi aduerſus Societatem accepta fuit, cùr neque in ſuſcepta defenſione, nec in adiuncta diſceptatione, vlla earundem annotationũ aut quæſtionum mentio facta? Cur rationes & argumenta non refutata? Præſertim verò additiones ex libris Ioann. Trithemij, quæ pleriſque etiam alijs diſplicuerunt, cur ita taciti Scriptores illi diſsimularunt, & tantùm in duorum Theologorum refutandis iudicijs occupati fuerunt?

IV. Quod ad ea Theologorum iudicia attinet, verè dixit Aſtrologus, non fuiſſe duorum tantùm: Erant enim quinque, partim è Societate noſtra, partim aliorum Theologorum. Quòd autem exinde occaſio accepta fuerit contra Societatem noſtram libellos manu ſcriptos vulgandi, alioſque typis publicis edendi, equidem non diffiteor: Sed cuiuſnam culpa? horum profectò, qui ea quinque iudicia clanculum nacti, duo ex ijs ſelegerũt, & tanquam à Patribus Societat. IESV profecta eſſent, publico typo in lucem dederunt, ac poſtea liberrimè, imò calumnioſè refutarunt, ſicuti etiã relatum Iuſtæ defenſ. procem. n. 1. & ſeqq. Sin ea calliditas non interueniſſet, Iudicia illa Theologorum, & tota controuerſia in publicam notitiã non veniſſet, ſed inter eos, ad quos pertinebat, examinata & dijudicata permanſiſſet. Falſumque omnino eſt, quod idem Aſtrologus dixit fol. ſuo 2:3. nu.3. Iudicia illa *Viennæ plurium manibus trita fuiſſe, quando Cæſar de deputandis aliquibus Conſiliarijs nedum cogitarat.* 339.

V. Etiam in eo grauiter errare Aſtrologum minimè dubito, cùm ſcriptionem illam & vulgationem libellorum aduerſus Societatem, antiquis Ordinibus abſolutè tribuit: Certum enim eſt, paucißimos duntaxat aliquos homines conſcios, & adiuuantes fuiſſe, reliquos verò pleroſq; tam Dominos Abbates, quam alios Monachos, poſtquam libellos eos viderunt, ac legerunt, improbaſſe, & adhuc improbare.

VI. Miror equidem, quòd Aſtrologus non obſcuris verbis inſinuare audet, reprehenſionem mereri, ſi librum aliquem, Auctoris vel Typographi non appoſito nomine, aut ſine legitima approbatione, quiſpiam in lucem edat. Ita profectò eſt, atque vtinam hæc res, prout etiam ſecũdùm Imperij Conſtitutiones oporteret, in obſeruationem veniret. Sed hæc cenſura quem ferit? Non Laymannum, qui nihil vnquam in lucem edi curauit, niſi legitimè approbatum, & vel

suo apposito nomine, vel saltem Typographi & loco impressionis. Ferit autem vel maximè ea censura Astrologiæ Ecclesiasticæ Auctorem, qui complures, per continuum biennium, scripsit libros, & postea publico typo edi curauit, neque suo, aut Typographi nomine, neque loco impressionis apposito. His verò duobus, *Astrologiæ ecclesiastica* & *Astri inextincti*, apposuit quidem nomen suum, impressionis verò locum adijcere non est ausus, sed id solùm apposuit: *Ex typographia Sangeorgiana*, atque adeo de legitima eorum librorum approbatione nullam hactenus fidem fecit.

CENSVRA XLIX.

357. FOl. 259. in medio ait Astrologus: *Ipsemet Oppositor in sua, vt vocat, Disceptatione solida & modesta, mox sub initium præfationis, antiquorum Ordinum Religiosos Monasteria sua legitimè repetentes, Diabolo capellam secus templum ædificanti comparauit, antequam suscepta defensio prodiret in lucem.*

Hic iterum geminata sunt mendacia; Alterum, quòd ea Disceptatio prodierit antè, quàm suscepta Defensio: cuius contrarium ostendi suprà, cens. 48. n. 2. & 3. Alterum, quòd in eius præfatione Religiosos legitimè sua repetẽtes comparauerim Diabolo, capellam secùs templum ædificanti. Nam neque ego præfationem illam Disceptationi præposui, sed is qui edidit me inscio: neque in illa fit ea comparatio, quàm fingit Astrologus: Sed dicitur Diabolum tenere suum solenne, vt quod alias facere solet, etiam nunc faciat in Germania, & iuxta templa, in quibus iterum antiqua religione DEVM speratur esse colendum, ædificet capellam scandalorum & Discordiæ, & segeti bonarum frugum interseminet litigiorum zizania. Hæc est illius præfationis aperta sententia, cùm generale dictum illud: *Nusquam DEO templum ædificatur, quin malus genius capellam iuxta illud erigere conetur*, ostendit etiam locum habere in præsenti recipiendorum bonorum Ecclesiasticorum negotio. Quòd sanè non est comparare quemquam Diabolo, sed generalis dicti veritatem in particulari ostendere, ac thesin applicare hypothesi.

CENSVRA L.

A Strologus Q. sua vlt. siue à fol. 257. vsque ad finem libri, ostẽdere conatur, *Susceptam defensionem*, & *Disceptationem*, libellos famosos non esse, prout à me in Iustæ defens. procem. n. 49. & seqq. appellati fuerunt. At verò tertium libellum, manu scriptum, cuius & in proœmio, ac Synopsi, atque ipso Iustæ defens. libro passim à me mentio facta fuit, defendere nõ audet: quare eum ad infamiã pertinere satis significare videtur Aduersarius: Et tamen susceptæ defensionis Auctor, quem perinde ac seipsum amat ac tuetur Astri inextincti Auctor, ex illo ipso libello famoso plurima in suam defensionem trãscribendo, 354.

bendo, quodammodo fætum proprium effecit, Iustæ defens. proæm. n.3.

Porrò, vt Aduersarius duos illos typo editos libellos ab infamia aliquo modo liberet, ideo ad ea quæ in Iustæ defens. proæmio; & ad aliqua eorum, quæ in Synopsi contra illos allata sunt, respondere conatur. Has responsiones examinare, aut contra eas replicare propositum mihi non est: Præsertim cùm in ea synopsi plurima adeò absurda, atque à veritate, omnique honestate abhorrentia dicta, ex libellis illis à me congesta sint, vt nemo hominũ facilè tam effrons reperiri queat, qui ea approbare aut defendere audeat. Quare ipse quoque Astrologus non omnia, sed ea duntaxat quorum absurditatem palliolo aliquo contegere se posse existimauit, in specie proferre, atque excusare ausus fuit; ita tamen, vt nouas falsationes, atque iniurias subinde effunderet, prout facilè, si opus esset, ostendere possem, (& videri E. C.

357. potest fol. 259. n.3. vbi per insignem iniuriam Theologo seculari imputatur, quod ipsi nunquam in mentem venit) Veruntamen inspectis ijs, quæ in Iusta defens. maximè in dicta Synopsi à me relata sunt, & computatis cum ijs quæ ab Astrologo proponuntur, Lector prudens ac doctus, veritatem ilico deprehendet.

Paucula quædam, in Societatis nostræ iniuriam redundantia, prætere-

361. rire non possum. Fol. 26 . contendit Aduersarius, rectè scripsisse libelli famosi Compilatorem, quòd *Societas pedetentim à primo instituto deficiens ad occasum vergat*; Et, *Obseruantiam regularem apud Patres Societatis obfuscari*, fol. 53. & 155. susceptæ defensionis; Idque duobus argumentis: Primum ducit ex libello R. P. Claudij Aquauiuæ, Societatis nostræ Generalis, cuius inscriptio: *Industria ad curandos animi morbos, pro Superioribus Societatis.* Ex ijs refertur ab Astrologo caput 15. cuius titulus, *Secularitas, & aulicismus, hoc est, mundanitas & honor aulicus concilians gratiam, & familiaritatem externorum.* *Moxq; sic orditur: Periculosus est hic morbus, & intra, & extra Societatem, qui paulatim subit sub specie quidem lucrifaciendi Principes, &c.* Eandemque obiectionem attulit Aduersarius in act. perduell. fol. 61. 62. 72. & in Anatomia fol. 9. 45 Considerabit verò prudens Lector, num vllam causam iustam habuerit homo iste Societatem nostram publicis scriptis denigrandi, eò quod bon. mem. P. Claudius collegerit morbos animi, qui in Societatem nostram, nisi Superiorum industriâ præpediantur, irrepere possunt, ijsque salubres curationes præscripserit, atque ad domorum Societatis Præpositos, & Collegiorum rectores miserit: Cùm potiùs exinde colligi debeat, Societatis institutum, regularumque obseruationem in vigore conseruari, quòd vitia, ac morbi animorum, quæ ob humanam infirmitatem quandoque contrahuntur, tam peruigili Superiorum cura cognosci, impediri, aut curari soleant. Accedit, quòd si ea, quæ in Epistolis aut exhortationibus asceticis, ab ecclesia-

clesiasticis viris, pro Religiosorum hominum, aliarumque sacrarum Congregationum spirituali profe-ctu, scripta aut dicta sunt, ad earundem dedecus transferre aliquis velit, nemo non videat, pro insano, aut disciplinæ ecclesiasticæ osore, habendum fore.

Alterum verò argumentum Astrologus sumpsit ex libro Ioannis Marianæ de Regimine Societatis, quem cap. 20. scripsisse refert: *Iesuitæ sub pietatis specie multis implicantur negotijs valde alienis, magisq́; secularibus, quam spiritualibus*, &c. fol. 263 in princ. *Qui & cap. 4. & in epilogo, maximam esse necessitatem asserit, eorundem Ordinem reformandi.* De hoc libro P. Ioanni Marianæ adscripto, ac dudum damnato, ex quo plurima conuiciandi causa Auctor Anatomiæ attulit, opus non est aliquid me dicere, cùm eius libri suppositītiam originem, mendacia & falsitates copiosè ostenderit P. Laurent. Forer in antanat. sect. 7. fol. 80. & seqq.

Atque in hac nunc scripta, & in lucem edenda Astri inextincti Censura, quæ ad perniciosas admodum fraudes, falsationes, & criminationes, vt maximè necessaria, intermitti non potuit, acquiesco. Neque opus fore arbitror, vt de his controuersijs ab aliquo è Societate nostra quidquam ampliùs respondeatur, etiamsi Aduersarij porrò nos instare pergant. Etenim si Lector ea, quæ ex parte nostra, defensionis causa, scripta sunt, conferre velit cum ijs, quæ vel hactenus obiecta, vel deinceps fortasse objicientur, facilè veritatem deprehendet. At verò sine tali collatione, aut examine, fidem obtrectatoribus habere, præsertim talibus, qui in manifestis mendacijs ac falsationibus sæpè deprehensi sunt, non nisi imprudentis aut malè affecti hominis proprium est. Spero autem, DEVM Opt. Max. qui veritatis amans, mendacij autem & falsitatis perpetuus osor est, ipso rerum euentu pro innocentia iudicaturum: vel, si in hac vita differtur iudicium, certi sumus, vocandos nos esse ad aliud tribunal, Christi Domini, inquam, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,

AMEN.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Laus DEO.


Restauro del Libro
Badia
di
Cava